dem de re incredulo, ſed de modo dubitandi modeſtè reſpondit : A Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras ; q.d. Tu legem, quam doces, ignoras : Redarguit ergo eum, quòd de modo hujus regenerationis tanquam dubius inquireret, qui tamen eum ex lege, ut doctor, ſcire deberet. *Joan.c.3.*

Ætate adhuc tenellus, repertus à parentibus in templo, cum Legis peritis diſſerens, dicentibuſque illis, Fili, quid feciſti nobis ſic ; magna animi modeſtia, quid eſt, inquit, quod me quærebatis ; neſciebatis, quòd in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe ? *Luc.c.2.*

Beniamin Diaconus in carcerem miſſus ab Iſdigerde Perſarum Rege cùm fidem negare juberetur, eam juſſionem corripiens, quo, inquit, ò Rex, honore dignus, qui ſuum relinquens regnum, invadere nititur alienum ; dicente autem illo, Mortis ſupplicio, ſapientiſſimus Diaconus reſpondit : Quid ergo non juſtè patiatur homo, qui Mundi creatorem deſerens unum conſervorum ſuorum deificare voluerit, & illi debitum cultum, alteri exhibuerit ; *Ex Theodor.hiſt.Tripart.cap.33.lib.10.Beyerlinck ſupra.*

S. Ephræm ☞ *Vide ſuprà de Admonitione.*

☞ *Item vide de Æternitate.*

B

CASTIGATIO DURA, ET SEVERA.

Cùm Valentis Imperatoris coquus primarius, Demoſthenes nomine, audacter reprehendiſſet S. Baſilium, ſermonem Barbariſmo inficiens, ſubridens ajebat : Heu ! vidimus Demoſthenem ſine literis. Illo verò ſtomachando progrediente. Tuum eſt, ſubdebat Baſilius, ſolerter inſpicere, quomodo fercula condiantur : noſtrum, qua ratione ſacra myſteria tractentur. *Ex Theod.l.4.c.17.Beyerlinck ſuprà.*

Non minùs ſapienter, ac ſeverè illo altero Pambo Abbas. Nam cùm ad eum B. Melania vaſa argentea trecentarum librarum detuliſſet, rogans ut rerum ſuarum eſſet particeps ; dixit : Deus tibi mercedem rependat, cùmque illa benedictionem expectaret, Domine, inquit, ut ſcias quantum ſit, ſunt 300. libræ argenti, cùmque is ne ad hoc quidem annueret, tandem ſilentii clauſtrum abrumpens, ea, inquit, à te attuliſti filia, non eſt, quòd ſciam quantitatem ponderis. Qui enim montes, & ſylvas appendit ſtatera, multò magis novit quantitatem tui argenti. Si autem mihi hæc dares, rectè pondus diceres : ſi Deo, C qui ne obolos duos deſpexit, tace. Severè caſtigabat promicantes in bono illo opere inanis gloriæ ſtimulos. *Pallad. in vita. Idem. Ibid.*

Emicuit quoque nobilis hæc ſeveritas in fæmineis pectoribus. Anaſtaſia namque à Pontifice idolorum rogata interpretationem ſermonis cujuſdam à ſe prolati ; Tu, ajebat, non es, qui hoc diſcas. Nemo enim, qui ſapit, commiſcuit unguentum vaſi putri. Meminerat illius Sponſi ſui, non oportere margaritas effundi ante porcos. *Sur.tom.6.in vita.*

CASTIGATIO LIBERA.

Frequens liberæ caſtigationis apud Salvatorem noſtrum uſus, quod vel tunc potiſſimum comprobavit, cùm jam manibus traditus nocentium, crebriùs in eos inſultaret, diceretque : Tanquam ad latronem exiſtis, cùm gladiis, & fuſtibus comprehendere me : Quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis. *Matth.c.26.*

Non minori libertate Vas electionis Paulus : Productus enim D in Concilium, cum Princeps Sacerdotum Ananias os ejus percuti juſſiſſet, inſurgens. Percutiet te Deus, paries dealbate, inquit, & tu ſedens judicas me ſecundùm legem, & contra legem jubes me percuti. Verè animoſa, & conſtantiæ index reprehenſio. *Act.c.25.*

Dum Clodovæum, cùm tribus Catechumenorum millibus ad baptiſterium procedentem, & inter candidatos magnificè apparentem, altos & Chriſtianæ humilitati diſſentaneos præ ſe ferentem ſpiritus intueretur Antiſtes Remigius. Mitis, inquit, depone colla Sicamber : adora, quod incendiſti, incende, quod adoraſti, hoc eſt, inanibus deorum ſimulacris exuſtis, deinceps Deum verum in baſilicis quas igne priùs vaſtabas, agnoſce, & venerare. Gravis, & efficax caſtigatio, non ſine fructu prolata. *Hincmarus in vita, & Greg.Turon. Beyerl.ſuprà.*

S. Joannes Chryſoſtomus perſonam cujuſvis reſpicere neſcius, dum ſtatuam Eudoxiæ Auguſtæ, quæ non procul ab Eccleſia ſua erecta, loco deturbare vellet ; iniquè ferens Auguſta, adverſus eum Synodum convocare parat, quod ille ſuſpicatus, notiſſimam illam in Eccleſia protulit Homiliam, cui exordium : Rurſus Herodias inſanit, rurſuſque turbatur : denuò ſaltat, denuò caput Joannis in diſco concupiſcit accipere. E *Socrates Tripart. hiſt. l.10.c.15.*

S. Eleutherium dum multis blanditiis aggrederetur tyrannus, ut à conſtantia mentem repelleret, probra hæc ab eodem remunerationis loco accepit : & lupe Arabice, qui Chriſti ovibus inſidiaris : nunquam mihi perſuadebis, ut ab hac pia conſtantia deſiſtam. *Metaph.Lyppom.tom.2. Beyerlinck ſuprà.*

Sergius II. Pont. ☞ *Vide Chriſtianiſmus.*

RELIGIOSA CASTIGATIO
Quorumcumque criminum contra religionis præſcriptum admiſſorum.

☞ *De pœnis Superſtitionis cujuslibet hìc agimus, non divinitùs inflictis (hæ enim ſub fructu Superſtitionis, & Impietatis quædam enumerabuntur) ſed humanitùs, hoc eſt, auctore homine.*

SECUNDUM FORMAM
Conſiderati Criminis.

CASTIGATIO. F

In Genere. Puta.

Impietatis.

Barieſus Elymas magus Sergium Paulum proconſulem à fide Chriſtiana avertens, à Paulo Apoſtolo cæcitate affectus eſt. *Auctor 13.*

Pius II. Pontifex Sigiſmundum Malateſtam Ariminenſium principem, obloquentem de religione, atque ideò in jus vocatum, nec comparentem, damnavit : ſimulacro quoque ejus Romæ vicatim incenſo. Nec multò poſt fœdus Gallicum, in quo & Sigiſmundum contineri Galli contendebant, recuſavit : indignum dicens inire cum eo ſocietatem, quem paulò ante damnaſſet. *Campanus in Pii vita.*

Hadrianus VI. Pontifex niſi morte immatura præventus fuiſſet, Romanæ urbis, & aulæ mores corruptiſſimos emendaturus erat, & in primis eos, qui pietatem ſimulantes Judaicis ſuperſtitionibus clam addicti eſſent, blaſphemos, & atheos, fœneratores, juventutis denique corruptores. Qua inopinata, & gravi ſeveriſſimæ legis mentione, maculoſos quoſdam, cùm aulæ tum civitatis, veluti deſperata publica ſecuritate, terrue- G rat adeò, ut non defuerint petulantiſſimi juvenes, qui Joanni Antracino pontificis medico poſtes feſta fronde per intempeſtam noctem protinus exornarent, cum titulo uncialibus literis inſcripto in hæc verba : Liberatori Patriæ S. P. Q. R. ſcilicet, ut eo joculari elogio non medicus uti veneficus aut imperitus, ſed majeſtas ipſa ſanctiſſimi pontificis, qui ſalutari cenſura, ut dignum erat principe Chriſtiano, Urbem, atque aulam probroſis vitiis repurgare cogitaſſet, non obſcurè carperetur. *Jovius in ejus vita.*

Lotheles, & Bluchus, duces Ungarorum, capti, & ad Conradum poſteà Imperatorem ducti, dicunt : Humanorum ſcelerum ultores ſumus, cùm vos perſequi deſinimus, tum à vobis irato numine capimur, & obtruncamur. *H. Henninges in Genealogia.*

Superſtitionis.

Apud Bardeſanem Syrum legitur, in Oſroene, juſſiſſe Abagarum regem abſcindi manus eorum omnium, qui ſe excidiſ- H ſent : ita ibi ritum illum ceſſaſſe. *L. Vives in l.7. Aug. de Civit. Dei cap.25.*

Gregorius Magnus maritum monachum reſtituit Agathoſæ uxori, abſque cujus conſenſu ſe in monaſterium contulerat : ne mariti converſio, uxori relictæ in ſeculo fieri poſſet perditionis occaſio, ſubiiciens : Etſi mundana lex præcipit, converſionis gratia, utrolibet invito poſſe ſolvi conjugium : divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam excepta fornicationis cauſa viro uxorem dimittere nulla ratione conceditur, quia poſtquam copulatione conjugii viri, atque mulieris unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte in ſeculo remanere. *L.9.epiſt.44.*

Gregorius Turonenſis Bertegundam monacham marito reddidit, quæ perſuaſa ab Ingeltrudi matre, cum marito ad monaſterium, quod mater inſtituerat, perveniens, maritum ad liberos redire juſſerat, dicens : Non videbit regnum Dei conjugio copulatus. Gregorius verò, re cognita, monaſterium

acceſſit, & legit Nicenum canonem : Si quis reliquerit virum, A thronum, in quo benè vixit, ſpreverit (dicens : Quia non ſit ei portio in illa cœleſtis regni gloria, qui fuerit conjugio copulatus) anathema ſit, & hoc modo perſuaſit Bertegundæ, ut ad maritum rediret. *Turonenſis lib.9.cap.34.*

In Specie. v. g.

Magiæ.

D. Auguſtinus annotavit, omnes Philoſophorum, & Religionum, quæ unquam extiterunt, ſectas Magiæ pœnas decreviſſe.

Plut. in Apoth. à Perſis ſcribit ſupplicio omnium crudeliſſimo affectos fuiſſe Magos, quorum caput inter duos lapides elidebant.

Valens Cæſar, cùm reſciviſſet Jamblichum alectryomantia ſcrutatum eſſe, quis ab ipſo Imperator futurus eſſet, foveam Jamblicho ante obitum curavit, & omnes conſcios, aut ſuſpectos necavit. *Socrat. lib.4. cap.29. Saxon. lib.6. cap.35. Niceph. lib.11.cap.45. Zonaras lib.3.*

B Amantius aruſpex aſcitus eſſe dictus eſt ab Hymetio, ut ob prava quædam perficienda numinibus ſacrificaret. Quæſtione diligentiùs habita, ex ædibus Amantii chartæ allatæ ſunt, quibus ſua manu ſcribens Hymetius flagitabat, ut Amantius, aliique ſacrorum ſolemnium conſecratores, numina, geniumque Imperatoris Valentiniani erga ſe delinirent : atque in extremis tabulis nonnulla continebantur adverſùs avaritiam, & crudelitatem principis : denique & à Frontino legebatur imprecationis formula concepta. Ob id delati, & peracti, Frontinus virgis cæſus in exilium ad Britannos ablegatus eſt, Amantius ultimo ſupplicio damnatus eſt. Hymetius ab Ampelio urbis præfecto, & Maximino Vicario cùm ad Valentinianum provocaſſet, Imperator Senatui negotium dedit. Senatus clementiorem ſententiam ſecutus, ad Boas Dalmatiæ locum relegavit. Iiſdem temporibus, & campenſis quidam aruſpex flammis necatus eſt. Sed & Lollianus primæ lanuginis adoleſcens, ideò ſolùm accuſatus, quòd noxiarum artium codicem deſcripſiſſe diceretur, & timor eſſet ne à Maximino in exilium mitteretur, Valentinianum appellaverat. Itaque ad Imperatoris comitatum duci juſſus, acerbiorem ſententiam nactus eſt : C etenim capite pœnas luit. Ideò verò quidam principes in hoc crimen acerbiores fuere, quod ad ſuam ſalutem id pertinere arbitrabantur. *Ærodius ex Ammiano lib.28.*

Sub Valentiniano ad Apronium præfectum urbis Hilarius quidam auriga adductus eſt, quòd diceretur, filium ſuum vixdum pubeſcentem tradidiſſe venefico erudiendum, ut ſecretiora quædam, & legibus interdicta ab eo edoctus, nullo alio conſcio, filii artibus ad multa interna adminicula uteretur. Culpam ſimilem eſſe, tam prohibita diſcere, quàm docere. Confeſſum, ac convictum capite damnavit. Is cùm laxius à carnifice retineretur elapſus, ad ritus Chriſtiani ſacrarium aufugerat, eo extractus, pœnas luit. *P. Ærod. ex Ammiano Marcell. lib.26.*

Maruthas Meſopotamiæ epiſcopus, legatus ab Imp. Theodoſio ad Iſdigerdem regem Perſarum, pietatis nomine regi charus erat. Magi metuentes ſuæ religioni, in eo templi loco, ubi ignis colitur, ſub terra occultè condunt hominem : qui introeunti regi ex adyto acclamaret. Exeat rex impius, & impium Chriſtianæ ſuperſtitionis doctorem fovens. Ea voce rex D perturbatus, ſuaſu Maruthæ, effodit locum, & invento homine, magorum familias propter impoſturam decimavit. *Nicephorus lib.14.cap.18.* Paulò pòſt cùm denuò Maruthas legatione apud regem fungeretur, quacumque eſſet rex tranſiturus, illuc intolerandum excitant fœtorem magi, calumniamque confingunt, comites Chriſtianos iſtius eſſe artifices. Verùm rex ex priore magorum facto judicium faciens, magno ſtudio de auctoribus inquiri juſſit. Magi deprehenſi, ſupplicio ſunt affecti.

Lollianus quidam, licèt juvenis, in exilium miſſus, & bona fiſco annotata ſunt, quòd librum magicum exſcripſiſſet. *Niceph. lib.2.*

Præſtigiatori cuidam Sicitidæ, adſtantium oculos faſcinanti, oculi ſententia lata fuerunt eruti. *Nicetas lib.4.*

Necromanticos capitali pœnæ lex ſubiicit, *lib.2. & 3. C. de Maleficis*, qui colebant artem diabolos expellendi, Magorum facilè principes, qui religionis prætextu (teſte Hippocrate de Morbo ſacro) adjurationes conjunctas precibus exercebant. Quamvis autem hominem, qui hac ratione ſanat affectos, lex morti non adjudicat : Magum tamen lex Dei morte mulctari jubet. Hunc enim certum eſt pactione teneri cum Satana, & loco unius, quem ſanat, binos affligere. *Bod. lib.4.* E *Dam. cap.4.*

Apud Scotos olim præſtigiatores, magos, manes invocantes, malis dæmonibus familiares, aut ab eis petentes auxilia, ad unum concremabantur. *H. Boet. lib. 10.*

Idololatriæ.

Moyſes, poſteaquam populus vitulum aureum adoraſſet, è monte Sina in caſtra reverſus, vitulum igni exuſtum in pulverem redegit, eumque aquæ commiſtum Iſraelitas bibere coegit. Præcepit deinde Levitis, ut enſibus accincti oſtiatim per caſtra graſſarentur, & obvios mactarent. Cæſa eo die circiter tria millia : Levitas poſteà expiari curavit. Poſtridiè populo ſceleris magnitudinem oſtendit, & ſe veniæ petendæ cauſa ad Dominum in montem aſcenſurum adfirmat. *Exod. 32.*

Præcepit Dominus Iſraelitis, ut ſi frater, filius, uxor, aut amicus aliquis eos clàm ad cultum alienorum deorum hortaretur, ne ei obſecundarent, non auſcultarent, non parerent, ſed coram populo productum primi lapidibus obruerent. F Quòd ſi oppidi alicujus cives in univerſum ad idololatriam deflexiſſent, expeditione ſuſcepta omnes illos trucidari, oppidum cum omni præda flammis tradi juſſit, eumque locum ſempiternum, neque unquam inſtaurandum rurſus eſſe. *Deuter.13.*

Apud Eoſdem de idololatria ſuſpectus ore duorum, triumve teſtium convictus lapidibus obruebatur, & teſtes primi lapides in eum coniiciebant. At unius ore condemnari non poterat. *Deuter.17. Idololatrarum diras pœnas pete ex Levit.29. c. & Deuter.28.*

Cùm audiviſſent Iſraelitæ cæteri, Rubenitas, & Gaditas fratres ſuos ædificaſſe ſibi altare in ripa Jordanis, unanimi conſenſu arma contra eos ceperunt. *Joſue. 22.*

Elias propheta, poſteaquam cœleſti miraculo ſuæ doctrinæ veritatem aſſeruiſſet, falſitatemque Baaliticæ idolomaniæ demonſtraſſet : divino zelo motus, 850. Baalenſes prophetas ad torrentem Ciſonem jugulavit. *3. Regum 18.*

Cùm Jehu Joſaphat F. ex Domini juſſu omnes Achab poſteros, & ſacerdotes Baal è medio ſuſtuliſſet, permiſit G ei Deus, trinepotes etiam illius Iſraelitis imperaturos. *4. Reg. 10.*

Cyrus Perſarum rex, patefacta per Danielem fraude, qua oblationes Bel idolo factas noctu in templo devorabant, ſacerdotes Bel ſeptuaginta cum uxoribus, & liberis capitali affecit ſupplicio. *Daniel. cap.14.*

Marcianus Imperator in epiſtola ad Palladium præfectum prætorii mandat, ut eos, quos conſtet prophanos ritus, & ſimulacrorum impios cultus, & interdicta ſacrilegia celebraſſe, juxta leges coerceat. Idem cum Valentiniano, lege ſeptima, C. de Paganis, inquit : Nemo venerandi, adorandique animo delubra, quæ olim jam clauſa ſunt, reſeret. Abſit à ſeculo noſtro, infandis, execrandiſque ſimulacris honorem priſtinum reddi, redimiri ſertis templorum impios poſtes, profanos aris accendi ignes, adoleri in iiſdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco exiſtimari ſacrilegium. Addunt etiam violatoribus graviſſimas pœnas.

Leo Imp. in l. ultima, C. de Paganis, permittit cuilibet accuſare exercentes paganam ſuperſtitionem : & pœnas ſtatuit iis, H qui ſua loca ethnicis ſacrificiis concedunt contaminari.

Aut. Ambroſius Britannorum rex, victo Hengiſto Saxone, victoria clementer uſus, Saxonibus in inſula manendi poteſtatem fecit, ſi Chriſtum ſequerentur. Deprehenſi quidam, mentita religione idolis litare : ſacrificuli loris cæſi, vivi ſunt cremati. *H. Boeth. lib.8.*

Carolomannus mulctam undecim ſolidorum exegit ab iis, qui paganorum ſuperſtitiones obſervarent. *Naucler. Generatione 25.*

Bela, mortuo fratre Andrea, regno Ungariæ potitus, ad religionem confirmandam regni proceres Albam regiam convocavit. Cùm iis unà affuit plebs injuſſa, avitam idololatriam reſtitui, Chriſti fidem aboleri poſtulans : Rex deliberandi ſpacium per triduum petit. Intereà tumultuario exercitu coacto plebem circundat, factionis auctoribus è turribus præcipitatis, & carcere, & flagellis eam Chriſti cultum ſervare coegit. *Bonfin.lib.3. Dec.2.*

Hæreſeos.

Hæreſeos.

A *D. Paulus ad Titum*, Hæreticum hominem poſt unam, & alteram admonitionem fugere jubet.

Jo. Chryſoſt. hom. 47. in Matth. ex domini præſcripto licere ait conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi præcidere.

Veteres Catholicæ fidei ſectatores diligentem curam ſemper adhibuerunt, ut continuis Conciliis, ingentique ſtudio à ſordibus religionem tuerentur, ſeverè extirpatis è Dominica vinea noxiis herbis. Nam quanquam Chriſtiano nomine cenſerentur Baſilides, Cerinthus, & Montanus, prætereà Novatus, Arius, Marcio, atque Valentinianus, complureſque alii: tamen à reliquorum fidelium communione eos ſepararunt, arbitrati à Catholica fide eorum dogmata aberrare: item Nepotem, Paulum Samoſatenum, & Apollinarem (etſi Epiſcopali dignitate fulgebant) pari modo damnarunt.

Pelagius I. ſub Juſtiniano conſtituit, ut hæretici, & ſchiſmatici coerceri etiam ſecularium manu poſſent, quando ad ſanitatem rationibus non deducerentur. *Platina.*

Macedonius Aquilejenſis antiſtes, cum Honorato Medio- B lanenſi, & Joanne Ravennate Epiſcopis, auſus eſt capita tria Chalcedonenſis concilii per ſe reſpuere, neque illis omninò aſſentiri velle. Pelagius Romanus Pont. Narſetem, in Venetia tunc agentem, adhortatus eſt, ut in Macedonium graviter animadverteret. *Egnat. lib. 1. cap. 3.*

Innocentius I. Cataphrygas hæreticos, quorum auctores fuere, Montanus, Priſcilla, & Maximilla, urbe expulit, Theodoſio Imp. annuente: Prætereà verò Pelagium monachum, & Cœleſtinum hæreſeo damnavit, & quòd liberum arbitrium divinæ gratiæ anteferrent, & quòd dicerent ad implenda divina juſſa, voluntatem per ſe ſufficientem eſſe. Pelagius autem in Britanniam proficiſcens, totam inſulam errore ſuo infecit, adjuvante Juliano tanti mali comite, & ſocio. *Platina.*

Anno 545. in Palæſtina doctrina Origenis olim condemnata reviviſcere cœpit: qui cenſuerat, Animos ante corpora exiſtere, deque corporibus in corpora commigrare, finem ſuppliciorum aliquem fore, dæmones in priſtinum ſtatum aliquando reſtitutum iri, corpora noſtra non eadem reſurrectura. Cum autem hanc peſtem ſerpere videret Euſtachius Hie- C roſolymorum Epiſcopus, ſectatores hujus opinionis omnes ex monaſterio, quod Nova Laura dicebatur, ejecit, ac Conſtantinopolim Rufum, & Cononem Abbates hac de re miſit: quibus fautorem ſe præbuit Pelagius diaconus, Vigilii pontificis apocriſarius, cùm peterent, ut is capita quædam ex libris Origenis, tanquam rectæ fidei contraria condemnaret. Id autem Pelagius ea re maximè fecit, ut Theodoro Epiſcopo Cæſareæ Cappadociæ noceret, qui tum in aula Imp. gratia, atque auctoritate florens, has opiniones ſibi defendendas ſuſceperat. Itaque, jubente Juſtiniano, damnatio promulgata eſt, cui Menas Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſubſcribit, eaque ad Vigilium Pontificem Romam miſſa, ejus quoque ſubſcriptione firmata eſt. Damnato iterùm poſt mortem Origene, Theodorus Cæſarienſis dolore incenſus quæſivit, Num fas eſſet mortuos anathemate jugulare? Cui Eutychius diaconus pro Amaſienſi Epiſcopo dicendi locum nactus, reſpondit, licere: nam regem Joſiam non modò ſacerdotes, qui dæmones colebant, viventes trucidaſſe, ſed etiam mortuorum ſepulcra effodienda curaſſe. *Sig. lib. 19. Imp. occid.*

Juſtinus ſenior veræ pietatis ſtudioſiſſimus, primo Imperii ſui anno Eccleſiam Anaſtaſii Imp. impietate turbatam, paca- D re cupiens, Severum hæreticum Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum comprehendi, & amputatione linguæ ſuæ impietatis pœnas dare coegit. *Evagr. lib. 4. cap. 4.* Ac non ſolùm, quos Anaſtaſii furor ſedibus ſuis ejecerat, ab exilio revocavit: ſed etiam temporis progreſſu omnem Arianæ peſtis labem omnibus ejus ſectæ aſſertoribus, ex Orientali, & Romano Imperio ejectis, ſuſtulit. Quam rem Theodericus Gothorum in Italia rex ægrè ferens, Joannem Pontificem, Theodorum, duoſque Agapetos oratores ad Juſtinum miſit, qui eum hortarentur, ut Arrianos reſtitueret: ſin ſecus animatus eſſet, ſciret ſe omnes Italiæ Eccleſias, Catholicas præſertim, demoliturum. Legati ubi legationem expoſuere, cum flectere Juſtinum non poſſent, ad lacrymas verſi, ac ſuppliciter petentes, ut perituræ Italiæ una cum Catholicis omnibus ſubveniret, eo tandem pium hominum perpulere, ut Arianos reſtitueret, atque eos vivere ſuis legibus, & inſtitutis ſineret. *Platina, & Paul. Diacon. lib. 15.*

Conſtantinopolitanorum nomina omnium antiſtitum, hæreſi Monothelitarum, Conſtantinopoli in ſexto generali concilio damnata, qui ſuperioribus annis unam voluntatem defenderat, ex omnibus locis deleta, Cyri, Sergii, Pyrrhi, E Pauli, & Petri. *Sig. lib. 2. regni Ital.*

Aſparem, & Ardaburium Vandalos Arianos, Imperii Orientalis duces, ſub Imperatore Leone Eccleſias turbare voluiſſe, ſcribit Nicephorus. Nicenam, & Chalcedonenſem ſynodos, quos defendebat Imperator, reprehendebant, ipſique Genſericum Aphricæ regem Arianum præferebant, cujus religio eſſet ſanior: ac propterea Deum victoriam tributurum eſſe Genſerico, ſeque alteri Imperium tradituros minabantur, ſicuti ipſi Leoni quoque tradidiſſent. Imperator cùm nulla eos ratione ad quietem reducere poſſet, licet Aſparis filio ſuam filiam in matrimonium collocaſſet: ſubornavit tandem Zenonem (qui ei poſteà in Imperio ſucceſſit) ut illos trucidaret. *Niceph. lib. 15. cap. 25.* Ubi Aſpares Ardaburium trucidari vidit, ſeque eundem manere caſum, ingemiſcens exclamaſſe dicitur: Dignum fert ſenex canis exitum, qui fruſtra gloriatus eſt, neque unquam admonitioni meæ audiens fuit. Perſæpè enim dixi, priùs Leonem devoremus, quam ille nos ſibi in prandio apponat.

Michael Balbus Imper. per Nicephorum Patriarcham, & alios ſacerdotes Conſtantinopoleos, promulgavit capitalem F pœnam in Manichæos, Paulinianos, & Attinganos in Phrygia, & Lycaonia degentes. Sed huic ſententiæ ſeſe oppoſuerunt alii doctores, inquientes, non licere ſacerdotibus contra impios promulgare mortem, cùm Deus vita, & converſione eorum delectetur, & eradicari zizania prohibuerit. Contra hæc altera factio Petri exemplum proferebat, qui interfeciſſet Ananiam propter mendacium, & Pauli auctoritatem dicentis: Qui talia agunt, digni ſunt morte. Cùm enim ſolo corporali peccato corrupti pœna capitali digni ſunt, multò magis ea afficiendos eſſe, qui ſpirituali, & corporali ſpurcitia dæmonibus ſerviant: Hac diſceptatione Imperator motus, exilii pœnam de Attinganis ſumpſit. *Paul. Diac. lib. 24. rer. Rom.*

Gelaſius I. Manichæos in urbe deprehenſos exilio damnavit, eorumque libros apud baſilicam divæ Mariæ publicè combuſſit. *Platina.*

Clodoveus rex Francorum, Alarico Veſtgothorum regi, Theodorici genero, propter Arianiſmum bellum intulit. In Pictavis conſerto prælio, Clodoveus victor extitit. *Sab.*

Mediolani regnante Matthæo Vicecomite, poſtremis ejus G Imperii diebus, detecti ſunt Andreas Seramita, & Guilielma poſt undecimum cœpti ſceleris annum, principes fuiſſe, mares ac feminas occulto in loco ſub Bariloti nomine, ad Bacchanalem exercendam licentiam congregandi. Nam peractis ſacris, quæ Guilielma in ſacerdotali veſte obibat, cum cæteri in clericorum habitu miniſtrarent, extincto lumine promiſcuæ libidinis genus omne permittebatur. Itaque Andreas vivens cum aliquot hujus ſectæ hominibus combuſtus fuit: additumque Gulielmæ cadaver, quæ ante mortua erat, & uſque ad id tempus in Clarævallis monaſterio ſepulta. *Fulg. lib. 1. cap. 1.*

Carolus V. Anabaptiſtas Monaſterienſes apud Veſtphalos excidit. *Sleidanus lib. 10.*

Religionis ſimulatæ.

Philippus Decius Juriſ. ſcribit, ſe judicium contra Judæum pronunciaſſe, qui ad ſupplicium criminis à ſe commiſſi minuendum Chriſtianus eſſe voluerat, ne ob pœnitentiam quamvis ampliſſimam quicquam de gravitate ſupplicii legibus imperati diminueretur. Ideòque magiſtratum Paduæ de ſen- H tentia doctorum omnium nihil de pœna derogaſſe. *Bodin. lib. 4. Dæmon. cap. 5.*

Apoſtaſiæ.

Matathias ſacerdotes, Judæum quendam idolis ſuffire parantem ad aram occidit. *1. Macb. 2.*

Primus rex Bulgarorum Trebellus, monaſticam ſecutus vitam, ex duobus filiis regnum majori natu reliquit. Rediit novus rex non multò poſt ad malorum dæmonum cultum, pietatem patris, & inſtitutum aſpernatus. Nec id filii ſcelus tulit Trebellius, ſed perſona, quam gerebat ad tempus depoſita, regiam induit, receptoque regni gubernaculo, filium impietatis increpitum luminibus privat, regnum dat minori natu habendum, quod piè ex ſuoque inſtituto adminiſtraret, ipſeque id documentum dediſſe contentus, continuò ſe in ordinem redegit. *Sab. lib. 6. Enn. 8.*

Raimirus II. rex Hiſpaniarum regem fratrem, qui à fide Chriſti defecerat, cepit: oculiſque effoſſis, in vincula conjecit. *Ritius.*

Blaſphe-

Blaſphemiæ.

A Cùm Dominus Moyſi ad montem Sinam legis præcepta daret, accidit, ut quidam Ægyptio patre natus, matre Iſraelitide Solomitha, Dibris F. ex tribu Dan, jurgio contendens cum Iſraelita quodam, Deo malediceret. Itaque in cuſtodiam traditus, & ex Domini mandato extra caſtra eductus, cùm omnes, qui audiverant blaſphemantem capiti ejus manus impoſuiſſent, ab univerſa multitudine lapidatus fuit. Deus ipſe legem dedit, ut quicumque Deo maledixiſſet, capite pœnas lueret. *Levit. 24.*

Juſtinianus Imp. jurantem per Dei aliquod membrum, aut per capillos, aut Deum blaſphemantes, ultimo ſupplicio damnat: *in Auth. coll. 6. tit. 5. Ut non luxurientur, & l. 2. Novell. titulo 20. de his, qui per capillum Dei jurant.*

Qui numinis, divorumve nomen nefariè, aut jurejurando, aut execrando uſurpabant, eorum fronti candente lamina notam D. Ludovicus Francorum rex inurebat. Deprecantibus magnis viris pro quodam ejus noxæ convicto, reſpondit ſe cupidè id monumentum in fronte geſturum, ſi ea ratione purgari Francia eo in Deum optimum maximum ſcelere poſſet. B *Æmil. lib. 7.*

Philippi Auguſti Francorum regis, vivo patre coronati, primùm edictum fuit adversùs blaſphemos, nomen Chriſti contumelioſè, probroſèque in teſtimonium, & cujuſvis minutiſſimæ rei aſſertionem adducentes, quo cenſuit in flumen citrà mortem mergendos. Secundum fuit adversùs tibicines, hiſtriones, paraſitos, & id genus voluptuarios artifices, quibus interdixit aula. *Chron. Franc.*

Kennethi Scotorum regis lege, blaſphemus in Dei, aut divorum, in regis, aut tribus ſuæ ducis nomen, linguæ amputatione plectitur. *H. Boeth. lib. 10.*

Donaldus V. Scotorum rex ſtatuit, ut dejerantis temerè, aut qui mali dæmonis nomen execrabiliter advocaret, labia candenti ferro exurerentur. *H. Boeth. lib. 10.*

Erat in civium Venetorum nobilitate Joannes Georgius, homo ferox, nullaque pietate, qui ab Antonio Bernardo Tauriſanorum prætore ob maledicta in deos, aliaque ſcelera exul ejus oppidi factus fuerat, damnatuſque, ut ſi eò rediret, lingua ei amputaretur, manuſque altera præcideretur. Is Tauriſum C alio prætore cùm revertiſſet, virginemque vi adhibita violaviſſet: Decemviri Veneti miſſis illò ſuis rerum capitalium miniſtris, atque vindicibus, Georgium comprehendi, deque eo Antonianum ſupplicium medio in foro ſumi juſſerunt: eo ſumpto, Venetias adductum in Cretam deportari mandaverunt. Anno Chriſti 1494. *Bemb. lib. 2. Ven. hiſt.*

Venetiis ann. 1513. Decemviri feminam meretricem, quæ in Deum maledicta conjecerat, & ſe fuga ſubripuerat, exulem ea conditione fecerunt, ut ſi ullo in imperii Veneti loco caperetur, cervices ei abſcinderentur, ipſa igni combureretur. *Bembus lib. 12. Ven. hiſt.*

Anno Salut. 1569. duo præſidiarii milites apud Argentinenſes in vincula conjecti, alter in Deum blaſphemus, alter in præfectum cohortis injurius. Pro illo, ob ſpectatam fortitudinem, optimi quique intercedebant: pro hoc verò nulli. Senatus prudentiſſimus indignum ratus, violatorem Dei meliore conditione eſſe, quàm calumniatorem hominis, cauſæ cognitione iis, quibus oportuit, demandata, ubi blaſphemiam horrendam licet ab ebrio, & emotæ mentis homine admiſſam cognovit, plus divinæ majeſtati, quàm humanæ gratiæ, & interceſſioni tribuendum ratus, ſupplicio capitali, extracta per D cervicem lingua, blaſphemum affecit.

Conjugii impii.

Videns Nehemias Judæos ducentes uxores alienigenas, objurgavit eos, & maledixit, & verberavit aliquos. *Nehemiæ cap. 13.*

Scortationis, Inceſtus religioſi.

Iſraelitæ victis Moabitis, cum moabitarum puellis ſcortari, & ad ſacrificia deorum invitati epulari cum illis cœperunt, atque ita cum Belphegor conſuetudinem habuerunt. Juſſit ergo Dominus Moyſi, ut omnes Reip. principes contra ſolem ſuſpenderet. Moyſes judicibus id dedit negotii, ut quotquot cum Belphegor conſuetudinem habuiſſent, interficerentur: Populus pro oraculi tabernaculo ſtans flebat. Supervenit Zambri, Salus F. Simeoniæ familiæ primarius, & adduxit Cozbin, Suris Madianitarum principis F. cumque ea in conſpectu Moyſis, & univerſæ multitudinis in proſtibulum ingreſſus eſt. Phinees igitur Eleazari F. Aaronis nepos, è turba ſurgens, arrepto jaculo ambos tranſverberavit, per ventrem ipſius mulieris. Quo facto, cohibita eſt clades Iſraelitarum, E mortuis in ea clade vigintiquatuor millibus hominum. Dominus verò cum Phinees propter hunc zelum pacis iniit fœdus, ut & ipſe, & poſteritas ejus perpetuum ſacerdotium gererent. *Num. 25.*

Cùm Madianitarum mulieres Iſraelitas ad ſcortationem, & idololatriam pellexiſſent, & propterea magna clade à Domino eſſent affecti: ex Domini præcepto Moyſes Phinees Eleazari Pontificis F. cum ſacris telis, & tubis, 12. millibus præfecit, & in Madianitas miſit. Interfecerunt igitur omnes Madianitarum mares, urbes incenderunt, prædam hominum ſimul, & animalium abegerunt, præda abducta, Moyſes quoque omnes mares impuberes, & feminas auctores idololatriæ interfici juſſit. Solis virginibus pepercit, eaſque unà cum præda inter Iſraelitas diviſit. Et in tanta clade Madianitarum ne unus quidem Iſraelitarum occubuit. *Num. 31.*

Matthæo Theodorici principis Flandriæ filio, propter Mariam Abbatiſſam Rummeſienſis cœnobii, Stephani Anglorum regis filiam, in uxorem ductam, aqua, & igni interdictum fuit à Samſone Rhemorum præſule: ſed Maria monaſterium, poſtquam duas ex eo progenuiſſet filias, remiſſa, interdictum F ceſſavit, & aperta ob hoc, quæ clauſa erant templa. *Chronic. Flandriæ.*

Viennæ Auſtriæ locus in urbe ſacer, quo ſacris virginibus aſciſcuntur proſtitutæ. Cæterùm ſi qua promiſſam caſtitatem fallat, in profluentem Danubii viva præcipitatur. *Sab. lib. 3. Enn. 10.*

Pius II. Pont. Max. Martialem Gallum, quòd virginem inceſtaſſe Veſtalem ferebatur, præfectura amovit, quanquam ſcelus non conſtaret: ſubdens, in religione præfectos ſuſpicione non minus vacare debere, quàm crimine. *Campanus in ejus vita.*

Pragæ in Boemia anno Chriſti 1530. Judæus, qui cum Chriſtiana rem habuerat, dolio picato per foramen virile pudendum indere juſſus, ferrato, & obtuſo culto juxta appoſito cùm vi caloris torqueretur, ſibi ipſi partes per quas peccaverat, amputavit: cumque cruentus fugeret, immiſſis atrociſſimis canibus laceratus eſt.

Simoniæ. G

Giezi famulus Elizæi prophetæ, cùm videret dominum ſuum munera à Naaman Syro à lepra curato oblata reſpuiſſe, ipſe clàm Naaman inſecutus, domini juſſu ſe venire ſimulavit: veniſſe enim ad eum duos vates, & petere, ut eis daret argenti talentum, duaſque veſtes. Naaman duo talenta, & totidem veſtes dedit. Eliſæus re comperta, ei maledixit, ut lepra Giezi, ejuſque familiam ſemper affligeret. *4. Reg. 5.*

Petrus Apoſtolus Ananiam, & uxorem ejus, ob ſuppreſſam pecuniæ ad pedes Apoſtolorum deponendæ partem, horrendæ mortis prædictione punivit. Idem Simonem magum, argento Spiritu ſancti dona emere cupientem, anathematis diro fulmine à ſe rejecit. Cujus tanta fuit abominatio, ut etiamnum à Simone vitium hoc nomen ſervarit.

Nicolaus II. Papa in Lateranenſi Concilio hoc decretum ſancivit, quod in decretis extat: Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, militarive tumultu, ſine concordi, & canonica electione Cardinalium, fuerit in throno Petri collocatus, is non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus, id eſt, à ratione deficiens, meritò vocetur: liceatque Cardinalibus, clericis, & laicis H Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare, & quovis humano auxilio à ſede Apoſtolica propellere: atque quovis in loco, ſi in urbe non liceat, Catholicos hujuſce rei cauſa congregare. *Platina.*

Bambergenſem Epiſcopum Henricus IV. ambitus condemnavit, albo pontificum eraſit, Rupertumque ſubſtituit. Sic & Brunonem, quem Metenſibus præſentarat Epiſcopum, ob ſævitiam dejecit. Anno 1070. plerique antiſtites monachorum, & Epiſcopi, nempè Sigebertus Hildesheimenſis, Carolus Conſtantienſis, Epiſcopi: Rupertus, Luitpoldus, atque Luitpertus, præſides Angienſes, præſidente Cæſare; quòd candidati munere ſuffragatore paraverant, ambitus condemnati, dignitate exciderunt. *Avent. lib. 5. Annal.*

Evidenti prodigio damnatus ſimoniaco crimine fuit Archiepiſcopus Ambrunenſis, ab Hildebrando Apoſtolico Legato (qui pòſt Gregorius VII. in pontificatu dictus eſt) Nam cùm ſimoniacum crimen factum negaret Archiepiſcopus, Legatus autem affirmaret, quia Spiritus ſancti Epiſcopalis

dignitas

dignitas munus eſſet, illi ipſi ſe hoc judicium remiſſurum eſſe: A & propterea ab Archiepiſcopo peteret, ut clara voce verſiculum recitaret, qui ab Eccleſia in omnium Pſalmorum fine dici ſolet, Archiepiſcopus conditionem accepit. Cùm autem recitando ad Spiritus ſancti nomen veniſſet, implicata ad dentes lingua, illud verbum enunciare nunquam potuit. Itaque ob eam rem damnatus eſt: & quod ante damnationem non potuit, poſt damnationem ab Epiſcopatu dejectus, planè pronunciavit. *Fulg. lib. 8. cap. 1.*

Petrus Papienſis Archiepiſcopus Florentinus, ob ſimoniæ notam à Joanne Gualberto, viro morum ſanctitate inſigni, qui primus Valliſumbroſæ monachalem congregationem inſtituit, cùm eſſet graviter increpatus, re ad populum, ut dijudicaretur, deducta: Joannes poſt peracta Miſſæ ſolemnia, cùm ita conventum eſſet, itinere habito inter duas lignorum ſuccenſas pyras, inter quas uni tantùm pervius limes erat relictus, vivus, atque nulla in parte læſus evaſit. Itaque & prodigii magnitudine, & ſimul, ut populi impetus compeſceretur, Petrus ab Alexandro Pontifice à Florentina Eccleſia dejectus eſt. *Idem.*

Petrus Albanenſis Epiſcopus, illæſus per pyram arden- B tem tranſiens, Simoniæ reum comprobavit Petrum Florentinorum Epiſcopum: unde poſteà Igneus eſt appellatus. *Urſperg.*

Quoniam libido ea inter cives Venetos creverat, ut quamprimi ſacerdotia, quæ habere bonis artibus non poterant, ſubdole, & inſciis ſuperioribus Romæ coemerent, Decemviri Veneti ſanxerunt, ſi quis in poſterùm id faceret, ejus bona fiſco inferrentur, ipſe ab urbe, atque urbis finibus, quamdiù viveret, exul eſſet. *Bemb. lib. 4. Hiſt. Venetæ.*

Vindictæ.

Victor Afer Pontifex Max. ſub Commodo iis, qui ob acceptam injuriam, aut vetus odium reconciliari recuſaſſent, ſacris interdixit, ann. 194. *Volat. lib. 22. Anthrop.*

Scurrilitatis.

Petrus Damianus, Cardinalis Hoſtienſis (qui poſt eremita factus eſt) Florentino Epiſcopo, quòd Scachorum ludo præfuiſſet, ter Pſalterium meditando percurrere, ac XII. pauperum pedes cum totidem numiſmatum erogatione, & recreatione lavare: pœnitentiæ loco juſſit. *Teſtis ipſemet in* C *Epiſt.*

Inſectationis qualiſcumque.

☞ *Conſule Titulum Perſarum: quatenus Pœnarum quoque ibidem fit mentio.*

Duo ſemicenturiones, cum L. militibus ſinguli, igni cœlitus demiſſo abſumpti, cùm Heliam comprehendere vellent, juſſu Ochoſiæ regis Iſraelitarum, cui mortem vates prædixerat, ob conſultum Beelzebub Accaronenſem Deum in ſua infirmitate. 4. *Reg.* 1.

Chryſaphius eunuchus cùm contra Flavianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum multa gravia machinatus eſſet, eò quòd Eutychetis hæreſi conſentire nollet: Theodoſius junior Imp. eum dignitate privavit, bonis exuit, & in exilium ejecit. Quò tamen priuſquam veniret, divina ultione in mari oppreſſus interiit. *Niceph. lib. 14. cap. 49.*

Vandali cùm magnam crudelitatem erga Chriſtianos in Libya, & vicinis locis exercerent, eam Deum punire volens (ſiquidem tunc per an. 95. duraverat à quo Genſericus primam irruptionem cum ſuis Barbaris in hanc terram fecerat) Epiſcopo cuidam Orientali per viſionem mandavit, ut Juſtiniano Imperatori author eſſet Vandalici belli ſuſcipiendi, pro libera- D tione Chriſtianorum in Libya. Is ad Juſtinianum veniens, mandatum divinum ei exponit. Eadem verò nocte Juſtinianus quoque in ſomno hac de re admonitus eſt divinitus. Ideòque circiter æſtivum ſolſtitium miſit Beliſarium ad bellum Carthaginenſe ſuſcipiendum: quod is magna cum alacritate tribus menſibus, capto Gelimero eorum rege, confecit. *Niceph. lib. 17. cap. 12. Procop. de bello Vandal. lib. 3. Paul. Diac. lib. 16.*

Amalaricus Veſtgothorum rex, Arianus, quia uxorem ſuam Clotildim ob Chriſtianiſmum acerbè inſectabatur, à Childeberto rege Francorum, uxoris fratre, victus, & occiſus eſt. *Procop. lib. 1. Turonenſis lib. 3. cap. 9.*

Sacrilegii.

Achan Charmi F. ex tribu Juda, cùm in Hierichuntis excidio de præda Domino devota chlamydem Babylonicam, ducentos argenti ſiclos, aureamque regulam quinquaginta ſiclos pendentem clàm in ſuo tabernaculo defodiſſet, & propter hoc ſacrilegium Iſraelitæ ab Hajenſibus turpiter fugati eſſent: Joſue dux Iſraelitarum, ſacrilegii deprehendendi cauſa primùm in tribus ſortitionem fecit: exit ergo tribus Juda. Capta deinde tribu, ſortitus eſt in ejus cognationes: & comperta Za- E rana cognatione (Zaræ autem pronepos erat Achan) ſortitus eſt in viros: deſignatoque Sabdi ſortitus eſt in ejus domum viritim: & tunc ſors cecidit in Achan. Qui ſuum peccatum confeſſus, ab Iſraelitis in vallem Achor ductus, lapidatus eſt. *Joſue cap. 8.*

Clodoveus Francorum rex, victo Syagrio Ægidii regis F. Sueſſiones illi faventes diripuit. Rhemis finitima civitate temperatum: niſi quòd cùm ad eam diem ædes ſacræ veneratione, & inopia tutæ, inviolatæque manſiſſent, tunc miles quidam Francus è templo calicem rapuerat. Gallis veteribus dolori erat initium ſpoliandi fana fieri: & D. Remigius Epiſcopus ſacerdotes miſit, qui ea de re apud Clodoveum licèt gentilem agerent, cauſamque religionis Chriſtianæ defenderent. Rex ipſe, proceresque facilè exorabantur, cùmque placuiſſet in medium referri prædam, ut (qui mos gentis erat) pro cujuſque virtute ea divideretur, ac omnes milites ob id conveniſſent: Clodoveus auctor erat, ut calix ſeponeretur, Remigio reddendus. Miles, ſive væcordia ingenii, ſive ſacrilegii pœnis agentibus, in medium progreſſus, ferociter negat religioni aliæ reſtituendum videri, bello, virtuteque partum: ſimul, ne quid F furoris deforet, calicem haſta (anchonam patria lingua Franci vocitabant) petit. Diſſimulavit in præſentia iram rex, ſuo tempore majore acerbitate erupturam. Conſenſu optimatium redditus noſtris calix. Anno circumacto cùm recenſeretur exercitus, idemque miles in armis prodiret, oblitum contumaciæ regem ratus: tum Clodoveus haſtam ejus quaſi inſpecturus cùm prehendiſſet, inutilem bello dictitans, in terram projecit: illumque eveſtigiò eam tollere conatum, demittentemque ſe, elata altè ſecuri, quo telo reges utebantur, in caputque dejecta, ſtravit, repetitumque interemit. *Æmil.*

Henricus V. Anglorum rex, bello Gallicano, cùm accepiſſet, militem quendam rapuiſſe de templo vaſculum, in quo S. Euchariſtia aſſervabatur: fertur juſſiſſe agmen conſiſtere, ac non priùs illinc abire permiſiſſe, quàm reſtituto vaſculo, miles perſolviſſet capite pœnas. *Polyd. lib. 22.*

Rapinæ.

Ab Ludovico juniore Francorum rege duo Gulielmi Ani- G cienſis, Cavillonenſiſque Comites, Eccleſiis ſuis infeſti, armiſque inerme ſacerdotium oppugnantes, armis coerciti ſunt. Anicienſi primo terrore domito venia data, patrimoniumque reſtitutum. Cavillonenſis pertinacioris amentiæ vir, Cluniacenſes monachos cum cruce, ac velamentis ſupplicum ad movendam miſericordiam ejus occurrentes, indignis affecerat modis: fractus armis ab rege potiùs, quàm domitus, vitam quidem impetravit, ſed comitatu ſpoliatus. Fama celebris eſt, Cavillonenſem comitem, dum frequenti procerum convivio epularetur, ab ignoto quodam in equo pro foribus ſedente evocatum exiſſe: coactumque eveſtigiò conſcendere, è conſpectu procul raptum, nec deinceps uſquam comparuiſſe. Et Nivernenſium comitem immunitatis Eccleſiarum hoſtem, obtorquente ſponte ſe in terga vultu obiviſſe. *Æmil. lib. 5.*

In Francia ſummi proceres profani locupletiſſimorum cœnobiorum opes beneficio regum acceperant, ac monachis tantùm in ſumptum ſuppeditabant, quantum neceſſarius uſus poſtulabat: ex eiſque ipſi deligebant, qui non Abbas (nam id ſibi nomen velut ampliſſimum arrogabant) ſed Decurio voci- taretur. Permultas ætates is mos tenuerat. Jam Epiſcoporum H jura invadebant. Carolus itaque ſimplex, coacto concilio, divitias Pontificum ſanctas eſſe conſtituit. *Æmil. lib. 3.*

Conradus Imperator Othonem de Vvitelsbach cum uxore, & liberis (quòd prædia ſacerdotum, à quibus curatione templorum motus erat, diriperet) apud Kelhaim regiam inferiores Bojariæ circumſedit, ad deditionem coegit: Othonem filium maximum natu obſidem dare, tutela ſacrarum ædium ſe abdicare coegit. *Avent. lib. 6. Annal.*

Adenulfus Aquinatum Princeps, Caſſinenſium cœnobio erepta prædia, repetente Aligerno Abbate reddere nolebat: quin potiùs Abbatem captum, Aquinum deduxit, ac urſina inſutum pelle in loco publico canibus venaticis expoſuit. Landulphus Capuanus Princeps mandat Adenulpho Capuam venire, ibique ſuorum factorum rationem reddere, Adenulpho ſuæ cauſæ diffidente, neque comparente, Capuanus Aquinum contendit: & ſceleſtum hominem, ut ſe dederet, coegit. A propria igitur conjuge (ſic enim fieri voluerat Adenulphus) fune in collum injecto, vinctus Capuano Principi traditur. Quem ſtatim Princeps vinctum Abbati, ut pro ſuo A de ipſo ſtatuat arbitrio, conceſſit. Adenulphus Abbati cuncta, quæ rapuerat, bona monaſterio Caſſinenſi reſtituit, datis ea de re literis Abbati: ſicque dimiſſus eſt. Hujus Adenulphi malo edocti alii, quibus monaſteriorum bona in deliciis erant, ablata reſtituere non ſunt cunctati. *Hoſtienſis l. 2. c. 1.*

Cædis.

☞ *Vide infrà, Efficientis reſpectu, qui corrigitur Judæi.*

Andronicus Antiochiæ præfectus, cùm donis Menelai corruptus fratrem ejus Oniam Pontificem contra datam fidem interfeciſſet: Antiochus Epiphanes rex, licèt impius, re cognita, cùm Oniæ ſanctitatem jampridem perſpectam habuiſſet, lacrymis etiam profuſis, Andronicum confeſtim purpura exutum, & virgis cæſum, in ſuburbium Daphnes, ubi Oniam interfecerat, eductum excarnificavit. 2. *Macb.* 4.

Julianus Judæorum dux crudeliſſimus, Chriſtianorum hoſtis, à Juſtiniani Imperatoris exercitu cæſus eſt. Ejus ſectator Sylvanus Scythopoli captus, & vivus exuſtus fuit, quemadmodum ei Sabas monachus Hieroſolymitanus prædixerat. *Nicephor. lib. 17. cap. 24.*

B Dunaan Pſeudomoſen, qui crudeli tyrannide Nigram Arabiæ opidum ob Chriſtianam religionem deleverat, Elesbaas Æthiopum rex, pro ſingulari ſuo in Chriſtum amore, Juſtino Imperatore comitante, in bello eſt perſecutus: eumque prælio devictum, cum aliis multis genere illi conjunctis vivum cepit, ferro cæcidit, & ita omnem ejus expugnavit, & prorſus devaſtavit regionem. *Niceph. lib. 16. cap. 6.*

Vigilius Papa ob interfectum à Clothario, vel Childeberto Gallorum rege, Gualterium Ivetoti dominum, ejus ſucceſſores, & hæredes eſſe voluit, juſſit reges Ivetoti, ☞ *Vide Titul. de Vindicta ſæva diù dilata.*

In Bojaria D. Heimeranum Landobertus, propter ſuſpicionem ſtupri cum Uta ſorore, crudeli morte necarat. At patefacta innocentia ejus, Theodo dux Bavariæ filiam Utam in Italiam relegavit: & fugit Landobertus ad Anares, & Hunnos, ubi exul obiit. Exinde omnis ſoboles ejus à ducatu, & faſtigio Bojariæ deturbata, & in equeſtrem ordinem redacta eſt. *Avent. in Annal. Bojor. lib. 3.*

Ob interfectum Vernerum, Plocenſem Epiſcopum, qui C cùm de pago lite habita, cauſa deciderat, Boleſtæ Polone viro primario ſacris interdixit Petrus Gneſnenſis præſul. Princeps verò Polonorum, Boleslaus Criſpus, ipſum comprehendi, & in foro Gneſnenſi extructo rogo vivum cremari juſſit. Ac Benaſſus, cujus manu perpetrata fuerat cædes, nuſquam poſteà comparuit: creditumque eſt, eum terræ hiatu abſorptum, meritum Epiſcopo ſupplicium expendiſſe. *Cromerus lib. 6.*

Ruſticos Saxones, qui duos Evaldos monachos Chriſtum prædicantes interemerant, Satrapa ejus loci omnes trucidavit, & vicum ipſorum incendio perdidit. *Beda lib. 5. Angelicæ hiſt. Eccleſ. cap. 11.*

Negligentiæ Baptiſmi.

Henricus II. Gallorum rex edictum ſanxit anno MDLVI. quo mulierem eo loco haberi jubet, ac ſi fœtum occidiſſet, morte affici, quæ graviditatem, partumque cælando, fœtum ſine baptiſmo ſiverit emori, neque teſtimonium cujuſquam adhibuerit: fidemque haberi vetat dicenti, mortuum fœtum ex utero prodiiſſe. *Bondin. lib. 4. Dæmonom. cap. 5.*

D *SECUNDUM MATERIAM CONSIDERATA criminum Caſtigatio. Reſpectu.*

PERSONARUM, CONTRA QUAS commiſſa ſunt crimina. Putà erga.

Deum.

☞ *Ex præced. Titulis huc non pauca referenda, quæ contra Deum immediatè committuntur.*

Prophetas.

Betherenſes pueri XLII. ab urſis, ab Eliſæo propheta evocatis dilaniati ſunt, eo quòd prophetam irriſiſſent. 4. *Reg.* 2.

Epiſcopos.

Cùm Felix Archiepiſcopus Ravennas ordines à Romano Pontifice accepiſſet, cogereturque de more formulam obtemperandi ſcripto, & pecuniam Romam mittere, neque id præ arrogantia faceret, Juſtinianus Imperator re cognita, Theo- E dorum patricium claſſis præfectum ſtatim admonet, ut primo quoque tempore ex Sicilia in Ravennates moveat. Is Ravennates prælio ſuperatos, maximis affecit cladibus, & Felicem catenis vinctum Conſtantinopolim miſit: quem poſteà Juſtinianus in Pontum relegavit, orbatum priùs luminibus, æneo concavo, ac quidem candente, diu inſpecto. *Platina in Conſtantino I.*

Innocentius I. Pont. Max. cùm accepiſſet, Joan. Chryſoſtomum Patriarcham Conſtantinopolitanum ab Arcadio Imp. Eudoxiæ uxoris æſtu in exilium pulſum, Theophilumque illi ſubrogatum: Arcadium admonuit, ut Chryſoſtomum revocaret: quod niſi quamprimùm faceret, tunc ſeſe, & Eudoxiam uxorem pro certò ſciret, extra communionem Chriſtianam ejectos eſſe, in ordinemque redactos. *Egnat. lib. 3. cap. 6.*

Monachos, Abbates.

Carolus Magnus apud Occitanos Abbatem monaſterii Gratiæ ſacra obeuntem interfecit, quòd veteranum quendam in cœnobii alimenta ſuſcipere detrectaſſet. Sed pòſt facti pœnitens, expiationis loco ampliſſima paſſim Eccleſiis, & monaſteriis donaria contulit. Claudius Seiſſelius in Ludovici XII. F hiſtoria, acroaſin hanc ejus loci cœnobitis acceptam refert, à nullo alio hiſtoricorum traditam.

Filios.

Fuit ſub Juſtiniano Conſtantinopoli Judæus quidam vitrarius, cujus filius cum Chriſtianorum pueris in templo corpus, & ſanguinem Chriſti acceperat: ob eam rem pater puerum in furnum ardentem conjecit: ibi per triduum illæſus, & ab igne intactus eſt conſervatus. Hoc cùm Juſtiniano Imperatori narratum eſſet, filium quidem, & matrem lavacro regenerationis illuminatos ſervavit, parentem verò in Sycis tanquam patricidam filii capite mulctavit. *Evagr. lib. 4. cap. 36. & Sigebert. in Chronico.*

Hoſtes religionis.

☞ *Conſule Titul. Perſecutorum, quatenus hi ipſi repreſſi ſunt ab aliis.*

Constantinus omnes Impp. Chriſtiani nominis hoſtes, Maxentium, Licinium domuit, iiſque devictis, pacem Eccleſiæ peperit. *Niceph. Zonar. Sozom. Socrat.*

Petrus quidam Judæus in Chriſtianiſmum converſus, G ſequenti die baptiſmatis ſui ipſo Paſchate, imaginem Chriſti, & Virginis unà cùm cruce, & bitro albo, quo, de fonte ſurgens, indutus fuerat, quorundam petulantium caterva ſtipatus, in ſynagogam Judæorum, quæ Caralis ſita eſt, intulerat. Ea de inſolentia à Judæis monitus C. Gregorius Magnus Papa Januario Epiſcopo Caralitano ſcribit *lib. 7. epiſt. 3.* zelum hunc ſine ſcientia eſſe: in eo potiùs elaborandum, ut à Judæis obtineatur velle non reniti, quàm ut adducantur inviti: quia ſcriptum ſit *Pſalm.* 53. Voluntariè ſacrificabo tibi, id eſt, ex voluntate mea confitebor tibi.

Hæreticos.

☞ *Vide ſuprà, Averſatio, quoad Converſationem, Communicationem.*

RERUM, QUÆ PER CRIMEN VIOLATÆ SUNT. CRIMINIS Caſtigatio commiſſi in

Libros ſacros.

Miles Romanus ob libros Moyſi laceratos à Cumano Judeæ H præſide ſecuri percuſſus. ☞ *Vide Titul. Seditionem.*

SACRA, VEL

Non obita, neglecta.

Quendam pridiè feriarum D. Martini Carolus Magnus deſignatum Epiſcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & mero ſeſe nimium onerans, ſomno deinde oppreſſus, noctu divinis rebus non interfuiſſet, rurſus ſacerdotio movit: intolerabile, negligentiſſimumque fore ratus, qui ne primo quidem die ſibi temperaret. *Avent. lib. 2.*

Conradus mendicus Elizabetham reginam ob non audita ſacra virgi cædi juſſit. ☞ *Vide Tit. Admonitiones piorum hominum audire.*

Violata.

Svatocopii filius, ultimus Moravorum rex, venationem aliquando facturus, Archiepiſcopo Methrodio imperavit, ne ante ſuum reditum divina perageret. Expectavit Methodius ad meridiem uſque. Tandem negligi rem divinam veritus, Deo ſacrificium cœpit offerre. Princeps, ubi ſe neglectum animad-

animadvertit, ſac ram ingreſſus ædem, multitudinem canum A introduxit, tubaſque clangere jubens, ad altare uſque progreſſus, convitia multa ingerens, vix manus à violatione ſacerdotis abſtinuit. Ob quam rem, paucis pòſt diebus Methodius in Bohemiam fugiens, regi, regnoque ſacris interdixit. Itaque non ſolùm Archiepiſcopatus ſedes in Moravia defecit, ſed regnum quoque extinctum eſt, partem Germanis, & Bohemis, partem Polonis, atque Hungaris diripientibus. *Æneas. Sylv. in hoſtor. Bohemica.*

Boso rex Arelatenſium ultimus, ab Othone I. Imp. capite damnatus eſt, eo quòd Epiſcopo ſuo, qui contra illius mandatum in ipſius abſentia ſacra celebraverat, inter ſacrificandum nativitatis Chriſti die alapam impegiſſet. *Munſter. l.2. Coſmog. de Arelato.*

Uladislaus Jagello Poloniæ rex contra Cruciferos Pruſſos Lituanorum auxilia ducebat. Dira, ac deteſtanda ſcelera Lituani, atque Tartari in excurſionibus, atque populationibus pagorum patrabant, matronas, atque virgines conſtuprabant, infantes diſſecabant, templa cum ſacris diripiebant: & quodam loco hoſtiam ſacram, quæ in templis de more aſſervatur, de argenteo ferculo profanè in terram abjecerant. Id ubi B reſcivere Poloni, fremere cuncti: & ni plectantur ſacrilegi, militiam ſe deſerturos eſſe populariter minari. Hoc clamore, & fremitu commotus rex auctores ſceleris perquiri juſſit. Inventi duo Lituani, Vitoudi juſſu ipſi ſibi patibulum erexerunt: & ſuis uterque manibus, patrio more, ſeſe ſuſpenderunt: objurgantes ſeſe mutuò, ne ſua cunctatione iram principis in ſe magis accenderent: quaſi is atrocius etiam aliquid in eos poſſet ſtatuere. *Cromerus lib. 16.*

Signa, Imagines.

Sigeb. in ſuo Chronico annotat, Judæum quendam Beryti imaginem Chriſti furtim è templo raptam telo transfixiſſe, ac ſecum domum detuliſſe, ut flammis exureret. Verùm ſubitò animadvertens ſe ſanguine imaginis eſſe cruentatum, præ timore, & ſtupore abſcondit. Hanc Chriſtiani requirentes, & per veſtigia ſanguinis invenientes, eam ſanguinolentam repererunt, ipſum verò Judæum lapidibus obruerunt.

TEMPLA DIREPTA, PROFANA.

☞ *Exempla quædam pete ex Tit. Inceſtus religioſi, quatenus pœnarum ab hominibus inflictarum exempla continet.*

C Joannes Judæ F. Pontifex Hieroſolymitanus, Jeſum fratrem ſuum ſacerdotium affectantem per jurgium in templo occidi Bacoſes Artoxerxis dux, qui Jeſu favebat, ob id ſcelus populo libertatem per ſeptennium eripuit, & vel invitis Judæis templum ſuo ingreſſu profanavit, tributaque impoſuit, ut priuſquam quotidianas hoſtias offerrent, in ſingulos annos ex publico L. drachmas penderent. *Joſeph. lib. 11. Antiq. cap. 7.*

Chriſtus Dominus ante paſſionem ſuam Hieroſolymam ingreſſus, ſuper pullum aſinæ, acclamantibus turbis Oſanna, è templo ejecit vendentes, & ementes. *Matt.* 21. *Marci* 11. *Lucæ* 19 *Joan.* 21. Poſt dies aliquot eos rurſus ejecit. *Matth.* 21. *Marci* 11.

Cùm Hungari regem ſuum Uladiſlaum contra Turcas proficiſcentem ſequuti, ne à ſacris quidem, & Bulgarorum templis diripiendis abſtinerent, id ægerrimè rex tulit: exclamans, multò plus Deo, quàm armis confidendum, & arma per deos ſumpta non eſſe ſacris inferenda, proinde oblata ſacris reddi edixit, ſacrilegii pœnas interminatus. *Bonſin. l. 6. Dec. 3.*

Feſta violata.

Moyses *Exod.* 31. capitali pœnæ ſubjecit eos, qui ſabba- D thum violarent, ea potiſſimùm de cauſa, quòd mundi creationem ſabbathi violatione in dubium revocare viderentur, ut Rabbi Moyſes Ægyptius ſcribit.

Iſraelitarum quidam, dum in ſolitudine eſſent, deprehenſus eſt die ſabbathi lignans. In cuſtodiam ducitur. Cùm autem non conſtaret, qui de eo faciendum eſſet, conſultus Dominus, reſpondit eum necandum eſſe. Eductus igitur extra caſtra, ab univerſa multitudine Iſraelitarum lapidatus eſt. *Numer. cap.* 15.

Cunegunda Imperatrix. ☞ *Vide infrà Monachæ.*

SECUNDUM EFFICIENTEM, SIVE RESPECTU PERSONARUM. SIC RELIGIOSÆ animadverſioni ſubiiciuntur.

PONTIFICES.

Henricus III. Imperator cum exercitu tranſiit in Italiam. Celebri inde antiſtitum conventu, quem Romæ habuit, Benedictum IX. Gregorium VI. & Sylveſtrum III. coegit ſe dignitate abdicare. Sindegerum Bambergenſem antiſtitem, Pontificem creavit, qui ſe Clementem II. dixit. *Sab. lib. 2. Enn. 9.* E Idem Widgerum, qui biennio ineptè, & crudeliter, necdum conſecratus, Ravennatenſem tenuerat fidem, loco movit anno MXLVI. *Hermannus contractus.*

Crescentius Conſul Romanus dejecto Gregorio V. Joannem XVIII. Pontificem deſignavit. Otho III. Imp. obſeſſos in mole Hadriani hoſtes cepit. Joannes oculis, auribus, naribus, dignitatibus, denique vita etiam privatus eſt. Flores temporum Honorii habent, quòd de Capitolio præcipitatus ſit: indeque eſſe, ut nulli Pontifici Capitolium inviſere liceat. Creſcentius verò jumento vili impoſitus, verſo ad poſteriora vultu, ſpectaculi loco in urbe circumductus, ejuſque membra paulatim præſecta, tandem ante urbis mœnia de patibulo ſuſpenſus fuit. *Naucler. Bonſin. Antonin.*

Dejecerant in Concilio Conſtantienſi Patres Joannem XXIII. Pontificem. Erant duo alii Antipapæ, Gregorius XII. & Benedictus XIII. Ut igitur abrogationem à ſe factam, veram, & integram judicarent omnes, ſynodicum decretum promulgarunt, quo affirmabant, Concilium generale legitimè congregatum, habere ſtatim à Chriſto poteſtatem. Quo fundamento poſito, ipſum etiam Pontificem Concilio ſubii- F ciebant. Quare Gregorio neceſſe fuit, ſuadente etiam Imper. Sigiſmundo, unum aliquem ad Concilium mittere, cùm ipſe proficiſci recuſaret, qui ſui nomine Concilii ſententiam approbaret. Miſſus itaque Carolus Malateſta, cùm videret omnes in hanc ſententiam venire, ut Gregorius quoque Pontificatu ſe abdicaret: in publicum prodiens, ac in ſede Gregorii non aliter extructa, ac ſi ipſe adeſſet, collocatus perlecta renunciandi facultate, Gregorium Pontificatu abdicat. Quem ſtatim conventus omnis, pro tam libera abdicatione, agri Piceni legatum creavit. Principes quoque Hiſpaniæ cernentes pertinaciam Benedicti. Concilii opinionem ſecuti, in reliquorum ſententiam venere. *Platina.*

Sigismundus Imp. indicto Conſtantiæ Concilio, ut ſchiſma trium Pontificum tolleretur, peragratis univerſæ penè Europæ provinciis, toto triennio, incredibili labore omnes principes, reges, ac Pontifices adiit, quo ſchiſma Chriſtiano nomini calamitoſiſſimum, regum, & univerſæ Chriſtianitatis Principum, & oratorum conſenſu tolleretur: omnes obteſtatus, ut per ſe, vel ſuos oratores Conſtantiæ convenirent, G cum pleno (ut ajunt) mandato. Itaque eò tantus numerus confluxit, ut XCIX. millia excedere videretur. Dejectis ergo tribus Pontificibus Joanne XXIII. Benedicto XIII. & Gregorio XII. totius concilii aſſenſu, electus eſt Pontifex Martinus V. cùm jam productum eſſet concilium ad annum MCCCCXVII. & annis duraſſet penè quatuor, compoſitis principum Eccleſiaſticorum, & ſecularium diſcordiis. Ut autem mores corrupti univerſi orbis Chriſtiani emendandi commodiori & tempore, & loco caſtigarentur, decretum fuit, ut à fine Concilii Conſtantienſis ad quinquennium uſque denuò Concilium celebraretur. Utque à quinquennali in ſeptennium aliud transferretur, ab hoc in decennium. Ita ut ſingulis quibuſque decem annis Concilium haberetur generale in loco idoneo; eſtque Papia urbs pro primo, Baſilea pro ſecundo Concilio deſignata. Itaque conſenſu Imperatoris, anno MCCCCI. IX. diſſolutum eſt Concilium. *Cuſp.*

EPISCOPI.

Athanasius ex monacho Patriarcha Byzantinus factus, Eccleſiaſticos Conſtantinopoli inventos, in ſuam quemque H Metropolim abegit. Dicebat enim, æquum eſſe, ut præſentes ovium ſuarum curam agerent, non autem emolumentis inde acceptis in urbe morarentur. *Greg. lib. 6.*

Innocentius VI. conſtituit, ut omnes prælati, omneſque qui beneficia habebant, ad Eccleſias ſuas ſub anathematis pœna proficiſcerentur. Dicebat enim oves paſcuas à proprio paſtore, non à mercenario cuſtodiri debere. *Platina.*

Leo VI. Pontifex Maximus, Cardinalatus honore Anaſtaſium tituli S. Marcelli privavit, quia contra Canones quinquennium à Parochia ſua abfuerat. *Fulg. lib. 6. cap. 3.*

Quendam pridiè feriarum D. Martini Carolus Magnus deſignatum Epiſcopum, quòd is auctus tanta dignitate, amicis cœnam exhibens, & mero ſeſe nimium onerans, ſomno deinde oppreſſus, noctu divinis rebus non interfuiſſet, rurſus ſacerdotio movit: intolerabilem, negligentiſſimumque fore ratus, qui ne primo quidem die ſibi temperarent. *Avent. lib.* 2.

MONACHI.

A Manuel Comnenus Imp. cùm in Ponti faucibus, loco qui Cataſcepe dicitur, Michaeli Archangelo ſacrum condidiſſet cœnobium, celeberrimos quoſque, & præſtantiſſimos monachos ibi collocavit, ea ratione, ut ſolitariam, & quietam vitam poſſent degere. Cùm enim monachos poſſeſſionibus, & negotiis turbatos, & tranquillitate animi, & Dei cultu excidere intelligeret: nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſſiones aſſignavit: ſed ex fiſco tantùm pendi juſſit, quantum ad victum, & cultum opus eſſet. Sanctionem Nicephori Phocæ Imp. olim abolitam de non augendis monaſteriorum latifundiis, quaſi poſtliminio revocavit: neque patrem, avum, cæteroſque cognatos ſuos, qui monaſteriis ampliſſima prædia donarant, incuſare deſtitit. Non quòd de ſuis opibus aliquid Deo conſecraſſent, ſed quòd rem bonam malè adminiſtraſſent. Nam cùm monachis habitationes in abditis, & deſertis locis, in antris, & montium cacuminibus aſſignandæ eſſent, & Conſtantinopolis tanquam Sirenum ſcopuli vitanda glorioſa ductos incruſtata ſepulchra, & vario marmore exornata, iis, qui templa ingrediantur, ſpectanda pro- B poſuiſſe: & mortuos quoque coronari ſe, & hilari, ſplendidoque vultu conſpici voluiſſe: & in foro, ac triviis, monaſteria ædificaſſe, & nullo cum delectu velut in cavea concluſiſſe eos, qui monachos non ultrà tonſum capillum, & mutatum habitum, promiſſamque barbam exprimerent. His igitur de cauſis, ſive ut monaſticam ſanctimoniam nutantem, ac potiùs humi ferè proſtratam fulciret: ſive metuens ne ea ipſe facere diceretur, quæ reprehenderet, rationem à ſuis majoribus diverſam eſt ſecutus. *Nicet. Choniates lib.* 7.

Henricus II. Imp. Monachos Fuldenſes, qui vitæ turpiſſimæ emendationem planè reſpuebant, omnibus bonis exuit, eoſque huc illuc fugere compulit, anno MXIII. *Chron. Saxon. & Trithemius in Hirſaugienſi Chronico.*

Ferdinandus, & Iſabella reges Hiſpaniæ, omnes, qui Clauſtrales dicuntur, liberè vagantes, ad obſervantium normam honeſtiorem vitam compulere. Moniales item, quæ licentiùs vagari conſueverant, à virorum conſuetudine, & monaſteriorum ſuorum exitu propulere. *Marinæus lib. 16. rerum Hiſpaniæ.*

C MONACHÆ.

Cunegunda Imperatrix ſuam ex ſorore neptem confugientibus præfecerat Utam: cui luxus, & regiæ lautitiæ magis, quàm religio curæ erant. Hanc cum Imperatrix aliquando die feſto, omiſſis ſacris, pocula cum ſuis monialibus tractare offendiſſet: tanto impetu ei colaphum impegit, ut digitorum veſtigia in maxillam impreſſa, poſteà nulla potuerint curari arte, ut in *hiſtoria Bambergenſi* ſcribitur.

Moravorum rex, Suatocopi F. venatum aliquando iturus, mandavit, ne ante ſuum reditum ſacra peragerentur. Expectavit Methodius Epiſcopus regem uſque ad meridiem: tandem rem divinam peregit. Intereà reverſus Princeps, in ſacram ædem canes venaticos intromiſit: tubaſque clangere jubens, ad altare progreſſus, multis Epiſcopum convitiis petiit, ac vix cruentas continuit manus. Methodius regem excommunicationis feriens fulmine, univerſoque regno ſacris interdicens, in Bohemiam fugit. *Æneas Silvius in Bohemica hiſtoria cap.* 13. Ibi Worzivoum (quem *Nauclerus* Borſinoum vocat) Bohemiæ ducem, ejuſque conjugem Ludimillam ba- D ptiſmi ſacris initiavit, anno Salut. DCCCCV. ut Schedelius habet. *Nauclerus* circiter annum Salutis DCCCCXXXI. id factum aſſerit.

REGES, ET PRINCIPES.

☞ *Ex loco Severitatis huc exempla, religionem junctam habentia.*

JUDÆI.

Conſtantinum Magnum conſtat Judæis fuiſſe infenſiſſimum. Extat *epiſt.* apud *Theodoretum lib. 1. cap.* 10. in qua appellat eos inimiciſſimam turbam, & dicit eos, Dominum intereміſſe, & mentibus captos eſſe, & non ratione, ſed cæco impetu duci, eaque amplecti, quo quemque inſita rabies ſua impellat. Cùm autem eos, qui ex eorum numero ad Chriſtianam tranſirent religionem, lapidibus obruere cœpiſſent: Conſtantinus legem, conſtituta gravi pœna, nimirum cremationis, tulit, ne quid moleſtiæ inferrent iis, qui deſerta Judaica ſuperſtitione veram doctrinam amplecterentur. Extat E ea lex in Codice de Judæis, & Cælicolis.

Patris exemplum ſequuti Filii Conſtantini, nec ipſi Judæis admodùm dediti fuere: & quamvis non prorſus Judæos eſſe vetarent, aut eos ſub imperio eiicerent, tamen cavebant legibus, ne ii, qui ex Judæis nati non eſſent, eorum collegio, & hæreſi aſſociarentur. Quare edicebant, ne quis Judæus ſervum aliquem ex alia hæreſi emeret. Quod ſi quis tranſgrederetur, futurum illum publicum ſervum. Si verò aliquis non modò emiſſet, ſed etiam circumduxiſſet ſervum ex alia hæreſi emptum capite plectendum eum eſſe, bonis omnibus confiſcatis. *Saxo, lib. 3. cap.* 15.

Imperatores, etſi Judæos eſſe paſſi ſunt, tamen legibus caverunt, ne quenquam, pœna proſcriptionis omnium bonorum, & perpetui exilii hominem Chriſtianæ fidei circumciderent, *lib. 13. C. de Judæis.* Item, ne celebrantes ſua ſolemnia, quidquam in contemptum Chriſtianæ religionis agerent, *lib. 10. C. eodem.* Morem etiam eorum in matrimoniis in Chriſtianum commutavere Theodoſius, Arcadius, & Honorius, *lib. 6. C. eod.* Heraclius interdixit, ne propius Hieroſolymam accedant Judæi, quàm ad tria millia paſſuum. *Paulus Diaconus lib.* 18. F

Judæi Alexandriæ nocturnam cædem Chriſtianorum fecerant, & puerum in crucem egerant, ſub Theodoſio poſteriore, Cyrillus itaque Epiſcopus Judæos tota Alexandria expulit, in qua jam inde ab Alexandri Magni temporibus vixerant. *Socrat. lib. 7. cap.* 13.

Philippus Adeodatus Francorum rex, acceptis à patre regiis inſignibus, adhuc adoleſcens, omnibus exemplis uſus eſt in Judæos judicio convictos, Chriſtianum puerum quotannis immolare ſolitos. In eos etiam, qui convitia faciunt in deos, edicto pœnam ſtatuit. *Ritius Neapolitanus lib. 2. Francorum Regum.*

Magdeburgi Judæus die Sabbathi, circa ann. MCCXCIX. inciderat in latrinam: implorat opem ſuorum. Illi querula voce teſtati eſſe Sabbathum, nec liberè ſibi opera manuum exercere, die poſtero ſe illum extracturos pollicentur. Conradus comes Sternebergius, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, mandavit ſub pœna capitis, ut qui Sabbathum ſuum pertinaciter obſervarent, Sabbathum quoque Chriſtianorum ſervarent. Itaque Judæus in pedore, & periculo duobus diebus, G ac noctibus jacuit, ut pertinaciam ſuam agnoſcerent improbi homines, qui occidentem literam ſequuntur, & illi pertinaciter inhærent, non ferente de facie Moyſi tolli velamen, ut ſubtus ſit inſpiciant. *Crantz. lib. 8. Metrop. cap.* 33.

Ferdinandi Catholici regis Hiſpaniæ edicto tam pio, quàm poſteà multis importuno, Judæorum infinita propè multitudo, quæ antiquitus in Hiſpania conſederat, quòd Chriſtianas leges, abdicatis Moſaicis, recipere nollet, exuta bonis, ac Hiſpania pulſa, per totum terrarum orbem profugit: ſic ut eorum pars Theſſalonicam nobilem Græciæ urbem, quam Amurathes, ut captam deformarat, coloniam condiderit, magno Turcis emolumento futuram. *Jovius in Conſalvo.*

Anno MCCCCX. Fridericus, & Guilielmus marchiones Miſniæ, & Balthazar Landgravius Thuringiæ, Judæos ejecerunt, quòd Chriſtianum puerum emercati, in contumeliam Domini Salvatoris, morti deſtinaſſent. Ruſticum pueri venditorem (incertum an, & parentem) fractis rota membris, quadripartiri juſſerunt, Judæis exterminatis, & rebus eorum confiſcatis. Compertum idem ſæpè nefas infamavit perfidam gentem, quod Chriſtiano ſanguine abutantur ad reſtrin- H gendum cruorem, qui perpetuò illis fluat, quorum patres clamavere: Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Ferunt alii ſolam Salvatoris in ea re ab eis quæri contumeliam. *Crantz. lib. 10. Vandaliæ, cap.* 18.

CASTIGATIO, CORRECTIO NIMIA.

☞ *Conſulatur Locus de Impietate, Tit. in fine, de Impietate Correctiva. Eaque varia, cùm erga ſeipſum, tum erga alios.*

☞ *Videatur inſuper Locus de Correptione, & Reprehenſione.*

Caſtitas.

* Definitio, & Etymologia.

CAſtitas Græcè ἁγνεία. Hebraicè *Tabourah* à verbo *Tabor* quod eſt idem, quòd mundus fuit expurgatus à ſorde, nomen habet à caſtigatione, juxta D. Thomam, quò concupiſcentiæ inordinatos motus comprimat, & velut puerum ſub diſciplina rationis contineat. Alii tamen à caſtratione deducunt. Unde caſtum dicunt quaſi caſtratum. Significat autem propriè caſtitas puritatem quamquam à voluptatibus, & actibus carnalibus, in quibus eſt peculiaris quædam turpitudo, & impuritas, alienam.

Generatim verò, vel potiùs per Metaphoram, puritatem animi ab omni amore, & delectatione inordinata creaturarum, atque adeò ab omni labe peccati, quæ in amore creaturarum inordinato conſiſtit, quomodo dixit Apoſtolus 2. *ad Corinth.* 11. Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Sic *D. Auguſtinus lib.2. de Mendacio, cap.*20. Caſtitas animi eſt amor ordinatus, non ſubdens majora minoribus. Et hanc dicit pudicitiæ corporis anteferendam. Verùm nos hìc de caſtitate propriè loquimur, quæ circa voluptates carnis verſatur.

Igitur ſicut abſtinentia moderatur affectum, & uſum in eſculentis, ſobrietas in poculentis; ita caſtitas in venereis, ne plus alio tempore, loco, modo illis delectemur, vel utamur, quàm rectæ rationis præſcripto ſecundùm præſentem ſtatum congruit.

S. Augustinus iterùm definit, quòd ſit virtus ſub jugo rationis impetum libidinis refrænans.

Item, quòd ſit munda, & honeſta totius corporis habitudo per edomitas vitiorum furias.

Genera Varia.

Caſtitas in univerſali alia eſt perfecta, alia imperfecta: perfecta etiam affectum nuptiarum excludit. Imperfecta ſolùm ab illicitis abſtinere proponit, & licitis moderatè uti deſiderat.

SS. Patres tria faciunt genera caſtitatis. Primam vocant virginalem, alteram vidualem, tertiam conjugalem.

Ita *D. Cypr. lib. de bono Pudic.* Pudicitia primum locum in virginibus tenet. Secundum in continentibus, tertium in matrimoniis. Verùm in omnibus glorioſa eſt cum gradibus ſuis. Addit ſuperioribus *S. Auguſtinus*, caſtitatem Clericorum, & Monachorum, atque horum perfectior eſt, propter votum, quo adſtringuntur, juncto voto paupertatis, & obedientiæ, quæ duæ virtutes hanc tuentur, & ornant. *S. Auguſtin. de Virginitate.*

CASTITATEM, PUDICITIAM, Qui Servarint:
* Ac primùm.

Ex Sacra Scriptura.

Quamdiù primi parentes in Paradiſo fuerunt, virgines extiterunt, ſed ipſis ejectis dicitur, Adam cognovit Evam uxorem ſuam. *Geneſ.* 5.

Cùm Sichem violaſſet Dynam filiam Jacob, fratres ejus irati ſunt valdè, eo quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſrael, & violata filia Jacob, rem illicitam perpetraſſet. Tandem & violatorem, & patrem ejus, & eorum populum occiderunt. *Gen.* 34.

Nota, quòd hoc fuit ante legem ſcriptam ſub lege naturæ, quantum ergo ſub lege gratiæ virginitas honorari debet: & ſtuprum puniri?

Judas, qui caſtus non erat, deteſtatus eſt fornicationem Thamar. *Gen.* 38.

Quamvis Joſeph eſſet ſervus emptitius, & elegantis formæ juvenis, ſine uxore, tamen ſollicitatus à domina ſua recuſavit ſtuprum, & maluit offendere eam, & in carcerem trudi, quàm perdere caſtitatem. *Gen.* 39.

Poſt debellationem Madianitarum factam per Phinees, & alios pugnatores, juſſit Moyſes mulieres corruptas jugulari, & virgines reſervari. *Num.* 31.

Mundi eſſe debebant, maximè à mulieribus, qui panes ſacerdotales comedebant. 1. *Reg.* 21.

Quando mulier Sunamitis hoſpita Eliſæi volebat ei loqui, mittebat ad eam Eliſæus puerum ſuum, quaſi vitans colloquia mulierum. 4. *Reg.* 4.

Sara in oratione dicebat: Tu ſcis Domine, quia nunquam concupivi virum, & mundam ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia. *Tob.* 3.

Mortuo ſuo viro Judith alium neſcivit, & ſemper caſtitatem amavit. Sed nota, quid faciebat; quia cum puellis ſuis caſta manebat, vel morabatur, & habens cilicium ſuper lumbos ſuos, jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbatha, & Neomenias, & feſta domus Iſrael. *Judith.* 8.

Susanna graviter pulſata fuit ab illis ſenibus, ſed ſuæ caſtitati nec famam, nec vitam præponendam eſſe putavit. *Daniel.* 13.

Ad hæc nullus de ſola caſtitate confidat, ſecundùm id, quod de virginibus Evangelicis ſcribitur: tot enim fuerunt fatuæ, quot prudentes. *Matth.* 25.

B. Virgo ab angelo venerabiliter ſalutata, non eſt oblita voti, & propoſitæ caſtitatis, licèt angelus promitteret ei, quòd ex ea filius altiſſimi naſceretur. *Luc.* 1.

Per hoc, quod Salvator dixit, quòd in illo ſeculo neque nubent, neque nubentur, videtur, quod virgines illi vitæ beatæ, ſpecialiter appropinquant. *Matth.* 22. *Luc.* 20.

Caſtitatis argumentum fuit in beato Stephano, quia ipſe ab Apoſtolis fuit deputatus ad miniſterium, vel cuſtodiam mulierum. *Act.* 6.

Exempla Historica
cùm Sacra, tum profana.

CASTITATIS ACQUISITIO. MAGISTRI Pudicitiæ Qui.
Putà

Deus, Angeli.

Helias Eremita pater, & rector CCC. virginum, cùm metu incontinentiæ curam illarum quandoque detrectaret, in ſomno ſibi præcidi genitalia vidit. Dum evigilaſſet, ad curam priſtinam rediit, ab omni liber laſciviæ cogitatione. *Volat. lib.*21. *Anthrop.*

Reges.

Balduinus Flandriæ comes, Byzantinus Imperator pius, & modeſtus, ne impudico quidem adſpectu mulierem intuitus, bis qualibet hebdomada veſperi proclamari jubebat, Ne quis in ſuo palatio cubaret, qui alienam mulierem attigiſſet. *Nicetas.*

Legislatores.

☞ Vide paulò poſt legislatores.

Patres.

Magnus Sforcia, Franciſcum filium graviſſimis præceptis monuit, etiam atque etiam caveret, ne amici, aut imperio ſubiecti uxorem unquam impudicis oculis intueretur. *Jovius in vita illius.*

Quomodo. Nempe.

Religione.

Romæ Veneris Ericynæ templum extra portam Collinam magna mole conſtruxit devicta Sicilia M. Marcellus, ne libido invaleſceret, atque luxuria à matribusfamilias abeſſet procul. Ad hanc ædem ſi quando Circus maximus Tiberis alluvione inundaret, ludos Apollinares ſæpè celebratos comperimus: in eamque virgines ætate adoleſcente Veneri pupas, velut puerilia rudimenta offerre ſolebant. Ibi quoque poſt Veneris Verticordiæ ſimulachrum, quod homines ab effuſa libidine averteret, dedicatum fuit. *Valer. lib.* 8. & *Ovid.* 4. *Faſtorum*, & *Plut.*

Oratione, Precibus.

S. Petrus Apoſtolus, cùm omnes morbo aliquo laborantes paſſim curaret, filiam Petronillam virginem febri vexari permiſit. Et cùm interrogaretur: Cur qui alios ſanaſſet, filiam ægrotare pateretur? Sic ei expedire, reſpondit: Didicit virgo in infirmitate eſſe fortior, & jam, nec ſana de corporis voluptate cogitare: maluitque caſta mori, quàm Flacco conſuli (à quo petebatur) nupta. Exaudivit Deus deprecantem, & vitæ pariter, conſuliſque libidini jam vim parantis, ipſam ſurripuit. *Marul. lib.*4. *cap.*8.

S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, cùm filiam ſuam Appiam caſtè, ſanctèque vivendi præceptis imbuiſſet, & illa aliquamdiu in virginitatis propoſito perſeveraſſet: veritus ne mutaret mentem, Dominum deprecatus eſt, ut ipſam in tuto collocaret. Itaque tam lætus, & alacer mortuam extulit, quàm ne virginitatem in conjugium verteret, anxius, ac ſollicitus fuit, *Marul. lib.*4. *cap.*8.

Benedictione.

Helenus Abbas, diſcipuli, qui carnis petulantia acrius, quàm ferre poſſet, infeſtabatur, cellam digito per humum ducto circumſcribens, immundis ſpiritibus, ne ſignum illud tranſgrederentur, præcepit. Et ille deinceps ab ejuſcemodi moleſtia liber fuit. *Marul. l.*4. *c.*7.

Medericus Eduenſis Abbas, & ipſe malarum tentationum victor, ac virgo, monachum quendam aſſiduis inceſtæ cogitationis oppugnationibus tantùm non ſuperatum, tunica ſua induens, à periculo liberavit, ita ut ille deinde omnis hujuſce modeſtiæ ſe expertem palàm affirmare ſolitus fuerit. *Ibid.*

Cantu, Poemate.

*Homer. l.*3. *Odyſſ.* cantorem Demodecum cuſtodem, & monitorem Clytemneſtræ relictum ab Agamemnone ſcribit: qui mulierum laudes percurrens earum, quæ maritis abſentibus temperanter, & caſtè vixerunt, deſiderium quoddam honoris, & gloriæ, & probitatis in ejus animo impreſſit. Neque priùs illa potitus eſt Ægiſthus, quàm cantorem obtruncavit. *Natalis Comes Mythol. l.*7. *c.*15.

Sacrificiis.

Soſipatram viduam Euſtathii, formoſiſſimam, & ſapientiſſimam mulierem, Philometor conſobrinus amare cœperat, & ut ea potiretur, magicis utebatur carminibus. Maximus ſophiſta, ſacris operatus, Soſipatra ab hoc furore, ne manus daret amori, liberavit. *Eunapius in Ædeſio.*

Inſtitutione.

Paphnutius Abbas, Thaidem nobile ſcortum ab impudicitia avertere volens, cùm ab ea ſecretiorem congrediendi locum popoſciſſet, & in abditiſſimum domus cubiculum ductus, ibi etiam, ne ab aliquo conſpiceretur, vehementer ſe vereri diceret: Ne dubita, inquit illa, nemo hìc jam te videre præter Deum poteſt. Captata occaſione Abbas interrogavit, An Deum eſſe crederet, quem latere poſſit, tùm qui bonis præmia, & malis proponat pœnas? Annuenti, ſubjunxit: Cùm hoc non ignores, nonne infeliciſſima es, quæ propter breviſſimi temporis voluptatem & te, & omnes, quibus tui copiam facis, perditum eas, cruciatibuſque æternis deputes: Scelerum conſcia mulier, ſtatim in lacrymas prorupit: ac deinceps laſciviam carnis frenans jejuniis, orationumque fatigationibus domans, pudicè, ſanctèque vixit. *Marul. lib.*3. *cap.* 1. & *Sab. lib.* 5. *cap.*2.

Admonitione.

Nota vox eſt Joel prophetæ jubentis, ut ſponſus de cubili ſuo migret, ſponſa de thalamo. Ad excidium, & vaſtitatem, quæ à Chaldæis imminebat, avertendam indixerat ipſi genti Propheta jejunium, & fletum. Tanti virtutem unam inſignis fecit Propheta. *Marul. lib.* 4. *cap.* 7.

Diogenes Cynicus formoſa ſcorta θανάσιμον μελίκρατον, mulſum lethiferum, appellare ſolebat. *Laert.*

Argeus, quibuſdam non ſua, ſed aliorum quorundam uxores prædicantibus: Per deos, inquit, de bonis, & honeſtis mulieribus nihil temerè loquendum eſt, ſed in totum, quales ſint, oportet ignorari, præter quàm ſolis maritis, quibuſcum vivunt. Tam inſignis erat apud priſcos virginum, & uxorum pudicitia, ut eas ab aliis quàm à parentibus, aut ſuis maritis conſpici, gradus aliquis ad impudicitiam haberetur. *Eraſmus in Apoph.*

Paula Romana Terram ſanctam peragrans, cùm Zoaram veniſſet, recordabatur ſpeluncæ Loth, & verſa in lachrymas virgines ſocias admonebat, cavendum eſſe vinum, in quo eſt luxuria, cujus opus Moabitæ ſunt, & Ammonitæ. *Hieron. in epitaphio Paulæ.*

Legiſlatione.

Moyses Iſraelitis præcipit: Neque Iſraelitidum meretrix quæquam, neque Iſraelitarum ſcortator eſto. *Deut. cap.* 23.

Cecrops Athenienſium rex primus venerem vagam certis connubii legibus adſtrinxit, & marem uni feminæ conſueſcere voluit. Propheta διφυῆ, fuiſſe fabulantur, biformem, ancipitis naturæ, marem, & feminam, propter introductum ſtabilis conjugii morem, & liberorum certitudinem. *Athenæus lib.* 13. *c.* 1.

Auguſtus Cæſar, legem de maritandis ordinibus, cùm aliquantò quàm cæteras ſeverius emendaſſet, præ tumultu recuſantium perferre non potuit: niſi adempta demum, lenitave parte pœnarum, & vocatione triennii data, auctiſque præmiis. Sic quoque abolitionem ejus publico ſpectaculo pertinaciter poſtulante equite, accitos Germanici liberos, receptoſque partim ad ſe, partim in patris gremium, oſtentavit: manu, vultuque ſignificans, ne gravarentur imitari juvenis exemplum. Cùmque etiam immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctavit, divortiis modum impoſuit. *Suet.*

Romæ, imperante Tiberio, graviore Senatus decreto feminarum coercita libido, cautumque, ne quæſtum corpore feciſſe vellet, cui avus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet. Quippe Veſtilia, prætoriis ornata majoribus, ſtupri licentiam apud ædiles invulgarat, more veteribus recepto, quibus pœnarum ſatis in propudioſas irrogari eſt viſum, ex ipſa flagitii profeſſione. *Cæl. l.*12. *cap.*4. *A. L.*

Theodosius Magnus conſobrinarum nuptias vetuit, tanquam parum honeſtas. *Cuſp.*

Lex Alcorani Mahometi, hominis alioqui impuriſſimi, primum præceptum habet, ut ne cujuſcunque quis ſexus, dignitatis, ac eminentiæ fuerit, provectam aſſequutus ætatem, extra matrimonium vitam agat. *Cuſp.*

Abrogatione morum impudicorum, Legum turpium.

Theodosius Magnus victo Maximo Romam veniens pœnas meretricum abrogavit, quibus audiendis prava prætereuntium libido irritabatur. *Sigon. libro* 9. *Imp. occid.*

Corbredus Galdus Scotorum rex, Eveni regis execrandas leges penitùs abrogare annixus: id ſolùm, ne deinceps plebejorum uxoribus nobiles communiter uterentur, obtinuit. Cæteras, adverſante multitudine, prorſus tollere non potuit. *H. Beoth. l.*4.

Scotorum rex Evenus III. legem tulerat, uti loci cujuſque dominus novæ nuptæ primam noctem haberet. Vix tandem barbaram illam conſuetudinem Malcolmus Cammor rex, D. Margarita regina ſuadente, ſuſtulit, nummum aureum (Marchetam vocant) à ſponſa pudoris redimendi cauſa loci domino pendendum ſtatuens, quod ipſum Scoti etiamnum hodie obſervant. *H. Boeth. lib.* 3. & *Polyd. lib.* 20.

Exemplo, Converſatione.

Paulus gentium Apoſtolus viduas, virgineſque ad perpetuam caſtitatis obſervationem ſuo hortatur exemplo, dicens: Bonum eſt eis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Hic ille eſt, qui raptus uſque ad tertium cœlum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Vitalis Monachi in urbe Alexandria mira admodùm caritatis opera extitere. Proſtibula adibat feminarum, & cum ea, quæ impudentiore laſcivia difluere videbatur, noctem pactus, pretium offerebat. Admiſſus autem in fornicis angulo procumbens deprecando, pervigilabat, donec illuceſceret dies. Factum admirans mulier, cogebatur interim tacita intra ſe cogitare, non jam quantum lucri feciſſet, ſed quantum turpiter vivendo Deum offendiſſet. Itaque multæ ab eo hoc modo converſæ, vitam correxere. Ipſe verò perverſa hominum opinione jactatus, quoniam circà lupanaria frequens erat, palàmque reprehenſus, patienter tolerabat: cùm plus utilitatis ex correctione alieni delicti caperet, quàm ex ſua infamia damni. *Marul. l.*3. *c.*2.

Alexander Magnus, cùm in Illyrios perveniſſet, ac in Jovis ara animadvertiſſet mulierem forma præſtantem, pulchritudinem admiratus, diù ſpectavit. Cùmque Hephæſtion diceret, Æquum eſſe, ut ipſe amatam caperet: Annon, inquit, hoc indigniſſimum eſſet, ut qui in aliorum incontinentiam animadvertere velimus, ipſi incontinentiæ ſervire ab exteris deprehendamur? *Maximus ſer.* 3.

Revelatione.

Gregorius Nazianzenus nec in converſatione ſcholari, vel ætatis vel ſodalium illecebris cedens, prodidit pudicitiam: ſed tanquam à domino ſibi commiſſum theſaurum, ad domum caſtam reportavit, integrum ſignaculum caſtitatis. Denique cum philoſophiæ ſtudiis apud Athenas floreret, vidit per ſoporem ſedenti ſibi, & legenti duas decoras ſatis dextra, levaque feminas conſediſſe. Quas ille caſtitatis inſtinctu, oculo torviore reſpiciens, quænam eſſent, & quid ſibi vellent, percontabatur. At illæ eum familiarius, & ambitioſius complectentes ajunt: Ne moleſtè accipias juvenis; notæ tibi ſatis, & familiares ſumus. Altera enim ex nobis Sapientia, altera Caſtitas dicitur: & miſſæ ſumus à domino tecum habitare, quia jucundum nobis, & ſatis mundum in corde tuo habitaculum præparaſti. Ita *Ruffinus ipſius S. Gregor. Naz. diſcipulus prologo in libros, S. Gregor.*

DISCIPULI PUDICITIÆ.
A Reſpectu
Occasionis. Perducti Ad Castitatem.

Odio mulierum.

Ajunt, Melanionem quendam odio mulierum in ſolitudinem demigraſſe: perque avia montium, cane, quo uno convictore utebatur, feras inſectari ſolitum, nec unquam domum revocari potuiſſe. Hinc proverb. Melanione caſtior. *Eraſmus.*

Senectute.

Sophocles tragicus, An conſuetudinem habere cum muliere valeret, rogatus: Bona verba quæſo, infit. In libertatem aſſerui me, qui rabidos, & feros dominos ſenectutis beneficio effugi. *Plut. de cupiditate divitiar. Cicer. in Catone, & Val. l. 4. c. 3.*

Neceſſitate, Coactione.

Agamemnone perempto, nupſit Ægiſtho Clytæmneſtra qui & principatu potitus eſt. Laodice verò, Agamemnonis filia, cùm neglectui foret, conſentit virgo: qua ex cauſa, ab B Argivis Electræ nomen obtinuit, διὰ τὸ ἀμοιρεῖν ἀνδρὸς, καὶ μὴ πεπειρᾶσθαι λέκτρου, quòd viri expers fuerit, nec lecti experiens. *Cælius l. 10. c. 29. ex Xantho Lydio hiſtorico, & Ælian. l. 4. Var. hiſt.*

Avaritia meretricum.

Demostenes excitatus ad Laidis Corinthiæ famam, cujus formam tunc Græcia mirabatur, acceſſit, ut & ipſe famoſo amore potiretur. Qui ubi dimidium talentum unius precium noctis audivit, deceſſit, hoc dicto, ἐκ τὸ ἀμοιρεῖν ἀνδρὸς, καὶ μὴ πεπειρᾶσθαι λέκτρου. *Macrob. l. 2. c. 2. Saturnalium.*

Finis. Invitati Ad Caste vivendum.

Religionis exercitio.

☞ *Ex Tit. Monachorum, & Monacharum huc illuſtria exempla afferri poſſunt. Roboris ſtudio.*

Ictus Tarentinus athleta nobilis, cùm certò ſciret corporis vires enervari libidine, toto vitæ tempore duravit expers vene- C ris, ut palæſtricis ludis eſſet accommodatior. *Volat.*

Asbylus Crotoniates athleta, perpetua caſtitate præditus fuit, ob curſus ſtudium. *Plato de Republ.*

Clitomachus athleta, ſurgebat, & abſcedebat, ſi quis ſermones injeciſſet amatorios. *Plut. l. 7. q. conv. 7.*

Doloris fuga.

Cùm mares omnes Diana averſaretur, quia viderat, quæ paſſa erat mater, cùm illi patienti obſtetricata eſt, impetravit à patre Jove, ut perpetuam virginitatem ſervare poſſet. Sic *Callimachus.*

δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.
Da mihi perpetuò ut ſim virgo, da pater alme.

Arcus præterea, & ſagittas, & puellas ſocias ſexaginta Oceaninas, & alias viginti, quæ illi arcus, cothurnoſque, & canes curarent, Jupiter poſtulanti tribuit, deditque venationibus præeſſe, & viis, & portubus. *Natalis Comes Mythol. lib. 3. cap. 15.*

CASTITATIS CONSERVATIO, conſiderata reſpectu

D
PERSONARUM, à Quibus Impugnatur. Pudicitiam Tueri Contra

Conjuges.

Alphonsus V. Aſturum rex, Taraſiam ſororem ſuam invitam Abdaliæ regi Toletano Saraceno deſponderat. Prima nocte Abdalias complexum ſuum refugientem Taraſiam, & Chriſtum pudicitiæ ſuæ ultorem fore dicentem, vi cogere voluit. Statim autem percuſſus ab angelo, vocatiſque familiaribus, oneratis camelis auro, & argento, & veſtibus pretioſis, & ſupellectili valde decora, remiſit eam protinus Legionem, quæ ibidem in monaſterio S. Pelagii vitam finivit. *Roder. Tolet. l. 5. rerum Hiſp. c. 18.*

Etheldreda, Annæ Orientalium Anglorum regis filia formoſiſſima, cum Egfredo Northumbrorum rege juvene, ætate florente, duodecim annos vixit, & nunquam cum eo corpus ſuum commiſcuit: ut propè neſcias, utrùm magis feminæ conſtantia, aut viri amore flagrantis patientia laudanda ſit. E Res ad extremum, extra tamen vim, in certamen adducta eſt. Etenim Egfredus ſuſcipiendæ prolis deſiderio agitatus, modò blandienti, modò minitanti ſimilis, uxorem urgebat, quò vellet unà ſecum liberis procreandis operam dare. Etheldreda contra, quæ virginitatem ſuam Deo dedicarat, nullis voluptatis, aut verborum illecebris à propoſito avertebatur, ſed aſſiduis precibus virum fatigans, ut ſibi, per ejus voluntatem conjugali vinculo ſolutæ, liceret privatam, & cælibem vitam agere, id tandem impetravit. *Polyd. lib. 4. Sig. Beda l. 4. Hiſtor. Eccl. c. 20.*

Amaſias.

Joseph Iſraelis filius, cùm in Putipharis domo Memphi ſerviret non herilibus illecebris, non ſuppliciorum metu ſubigi potuit, ut muliebrem libidinem ſecutus, cum hera, à qua procaciter appetebatur, ſolus ſtuprum faceret. Maluit caſtiſſimus puer in tenebris inter reos, & ſontes victus jacere, quàm eam domum, in qua clementer, ac benignè alebatur, flagitio fędare. *Sab. l. 1. c. 3. ex 39. Gen. Marul. l. 4. c. 7. & Fulg. l. 4. c. 3.*

D. Bernardo dormienti. ☞ *Vide infra §. Scorta.*

Amatores. F

Alexandrina virgo ſextum decimum ætatis annum vix nata, ardentiſſimaſque adoleſcentis in ſe flammas verita, tumulo ſe veteri ſponte incluſit: in quo duodecim annos conſtanter vixit, cibo capto indies, neceſſariiſque aliis per rimulam ſumptis. Interrogataque ſæpiùs ab iis, qui eſcam ad eam afferrent, cur hoc cepiſſet conſilii, curve tàm diù immoraretur: Vereor, inquit, virgineum pudorem amittere adoleſcentis ardore nimio. Nec priùs inde amoveri voluit, quàm adoleſcentem fato functum pro certo intellexit. *Egnat. l. 5. c. 5. & Fulg. l. 4. c. 5.*

Scorta.

Xenocrates Chalcedonius, Platonis diſcipulus, tantæ continentiæ erat, ut Phryne alii, Thaiden dicunt, nobile Athenarum ſcortum, depoſito cum quibuſdam juvenibus pignore, ſe in ſuum concubitum allecturam, in lectuli parte admiſſa, nullis illecebris, nullo libidinis irritamento, cùm omnia fruſtra tentaſſet, incredibilem ejus continentiam violare potuerit. Quæ cum à juvenibus victoriæ precium poſceretur, facetè reſpondit: ſe cum illis de viro, non de ſtatua, vel trunco certaſſe. *Val. Max. l. 4. c. 3.*

Eidem diſcipulos Laidem inſignem meretricem, formaque G excellentem injeciſſe in lectulum tradunt: illumque adeò fuiſſe continentem, ut cùm ſe ad libidinem incitari præſenſiſſet, ſecari, & uri verenda ſit paſſus. *Laert. l. 4. c. 2.*

D. Bernardo nocte quadam puella nuda injecta eſt in lectum dormienti ad latus. Et quamvis impudica ipſum irritaret ſuis illecebris, tamen ſe continuit. Eodem modo cùm iter faceret, & apud matronam quandam diverteret, illa ter ad lectum ejus venit. Sed ille ter clamitans, Latrones, ab ſe eam repulit. Cumque poſtero die ſocii arguerent, quòd toties ea nocte latrones ſomniaſſet, eorumq; ſomnum interturbaſſet, reſpondit: Verè latro aderat. Nam hoſpita caſtitatem, irreparabilem theſaurum, mihi ablatura ter venit. *Author vitæ l. 1. c. 3.*

Pathicos.

Formoſum Antiphares antè amantem defugerat, & faſtidierat Themiſtoclem. Pòſt, ubi ingens nomen ejus, & opes fuere, adiens blandiebatur ei. Cui ille: Adoleſcens, inquit, ſerò quidem ambo, ſed tamen ſapuimus. *Plut. in Reg. apoph.*

Ageſilaum Spartanorum regem Megabates Spiridatæ F. (Plutarchus habet Spitridatem) morte Perſarum oſculandi eos quos in honore haberent, oſculari aggrediebatur. Ille ve- H rò, licet puerum valdè amaret, quò minus id fieret, ſeriò repugnavit, ita ut ſe Megabates injuria putaret affectum. Tum Ageſilaus quendam ex ſociis compellabat, qui Megabatæ perſuaderet, uti ſe rurſum honore afficeret. Eo quærente, ſi pareret Megabates, an ipſum oſculatus eſſet? Tum verò ſubticuit Ageſilaus: ac deinde Minimè, inquit, non ſi ſubitò & venuſtiſſimus, & robuſtiſſimus, & celerrimus omnium hominum ſim futurus. Sed tamen pugnam eandem pugnare me malle, deos omnes teſtor, quàm omnia, quæ cerno, aurea fieri. *Xenophon. Plut.* verò in *apoph.* ſic: cùm Megabates Mithridatis filius forma eximia Ageſilaum adiſſet, quòd ardenter amari videretur ab eo, ad eum ſalutandum, & oſculandum, declinavit. Ut deſtitit ille ipſum adire, requiſivit eum Ageſilaus. Amicis ipſum in cauſa eſſe ſubiicientibus, qui formoſi illius complexum fugiſſet: nunc autem metu adductum non venire illum: haud exiguo ſpatio cogitabundus, ac tacitus conſtitit: tum, haud quaquam eſt ille, inquit, à nobis inducendus. Ego enim iſta vincere præcello, quàm munitiſſimam hoſtium urbem expugnare.

Scribit *in hiſt. comment. Caryſtius*, quòd puer formoſus ade- A rat Charoni Chalcidonico, quòdque benè eum tractabat. Cùm verò Alexander eum inter potandum apud Craterum laudaſſet, juſſit Craterus puero ut Alexandrum oſcularetur: qui, Nequaquam, inquit: non enim tantum mihi dabit lætitiæ, quantum tibi doloris. *Athen. l. 13. c. 27.*

Philoxenus claſſis præfectus, cùm Alexandro ſcripſiſſet, Tarentinum quendam Theodorum eſſe apud ſe, pueros habentem inſignioris formæ venales, ſi vellet emere: Alexander indignè tulit, apud æquales ſubinde clamitans: Quid in me Philoxenus tam obſcœnum animadvertit, ut mihi tantùm probri conciliaret. *Plut. in Alexan.*

Conservatur, A
Deo, Angelis.

Eusebius Epiſcopus, & martyr, quam virginitatem ab ineunte ætate ſollicitè cuſtodierat, Deo protegente, nullis inſidiis amittere potuit. Mulier quædam forma illius capta, cùm ad ipſum impudenter irrumpere vellet, cubiculum aditu aperto intrare non potuit: culpæ conſcia, ac terrore ſimul perculſa, ante januam excito Epiſcopo, crimen confitendo B veniam impetravit. *Marul. l. 4. c. 7.*

Lucia Syracuſana virginitatem vita habuit cariorem. Juveni, cui pacta fuerat, jungi noluit, ut jungeretur Chriſto, pro hujus amore martyrium conſtanter pertulit, cum illo vivere recuſavit. Paſchaſius conſulari poteſtate tumens, puellam duci ad lupanar juſſit. Sed illam vis nulla, nulli prorſus conatus movere potuerunt. Funibus circumligatam mille viri, mille boum juga trahere nitebantur. Sed eodem loco, quo eam fixerat Dominus, veluti montis rupes immota ſtetit: atque ibidem uri, cædi, jugulari potuit: abduci, ut proſtitueretur, non potuit, quoniam Deo voverat caſtitatem. *Marul. l. 4. c. 8.*

Martianam Cæſareæ defendit paries, inter ipſam, & corruptores mirabiliter ſe interponens. Irenem Romæ liberavit Angelus, iis, qui eam ad lupanar trahebant, illudens.

Flaviam Domicellam Tarracinæ intactam reliquit repentina eorum inſania, qui vim inferre parabant.

Seraphiam apud Vendinenſes eripuit horrendus fragor, motuſque terræ illos exanimans, qui ipſam polluere niteban- C tur. *Ibid.*

Methodius patriarcha Conſtantinopolitanus, olim cùm vitam Romæ ageret, à dæmone crebriùs carnis igne correptus eſt: & cùm libidinis incendium quotidie exardeſceret: timens ne vitæ continentiam amitteret, ſanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum ſummis precibus rogavit, ut periclitanti opem ferrent. Tum nocte quadam dormienti aſtare duo viri viſi ſunt, quorum unus pudenda digitis tangens: Bono eſto animo, dixit, mox hic ignis extinguetur: & ſimul viſus eſt adurere pudenda, ut præ dolore expergiſceretur. A ſomno excitatus, virile membrum tabidum reperit, & emortuum, nec ab eo tempore ullam ampliùs moleſtiam ſenſit. *Cuſp.*

Brutis.

Columbam virginem apud Senones paſſam, cùm inter meretriculas vitiandam pertraxiſſent, urſus ab injuria tutatus eſt. *Marul. l. 4. c. 8.*

MODI RESPECTU. LIBIDINIS Quascunque Occasiones Fugere, declinare, Libidini obſiſtere.

D *Libidinis occaſiones partim internæ ſunt, partim externæ. Internæ jejuniis, flagris, ciliciis, & antequam exardeſcant, opprimuntur, & poſtquam exarſerint, extinguuntur. Externæ, aſpectus ſcilicet, alloquium, tactus, declinantur, corriguntur. De priore illa ſic ſcribit* Marul. l. 4. c. 1. *Non ſolùm diabolus, verùm etiam corpus noſtrum adverſatur nobis. Vas electum Paulus: Video, inquit aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Deinde exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Et quia ipſe per ſe non ſufficit, reſpondet: Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Sed quoniam gratia iſta ſollicitis, non otioſis opitulari ſolet: ipſe quoque non ceſſat, quantum poteſt, reluctari adverſario ſuo, & flagellationum jugo premere illum, atque imperare volentem, ad obedientiam compellere. Caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſervitutem redigo. Igitur ſi pugnat caro, caſtigatione reprimenda eſt: reprimentem Dei gratia adjuvabit. Carnis autem caſtigatio eſt jejunium, vigilia, deprecatio, verberatio, labor. Hæc ille. Proinde caſtigatio carnis per jejunium, & flagella, reſpectu* E *finis, hujus erit loci propriè, quia ad edomandam carnem pertinet. At reſpectu modi, quo domatur: Jejunia quidem ad primam temperantiæ ſpeciem. Flagella verò ad Tolerantiam dolorum referenda erunt. Carnis certè appellatione Chriſtiani Theologi affectum intelligunt, voluptatem corpoream circa alimenta, ſed in primis circa venerea, conſectantem.*

Quo Ad Seipsum, Certamen Caſtitatis, & Libidinis internum.

Sic ſecum ipſe certat, quando brutum Appetitum Rationis rectę imperio ſubiicere ſtudet, ejuſque rei cauſa adminicula quævis ad fomitem libidinis extinguendum, refrænandumve ex ſeipſo adhibet.

Precibus.

Æquitius in Valeriæ partibus abbas, dum in juventa immundis tentationibus quateretur, ad precum confugia recurrebat. Poſtremò ſomnianti viſum eſt, aſtitiſſe angelum, omnemque ſibi genitalium motum ademiſſe: nec poſteà ſenſit ſe tentari. Quinimmò Dei dono fretus, præeſſe monaſterio feminarum cœpit. Interim tamen diſcipulos admonere non ceſſa- F bat, ne ſe in eo priùs æmulari vellent, quàm pari miraculo inſuperabiles facti fuiſſent. *Marul. l. 4. c. 3.*

Chriſtophorum martyrem, qui mundi opificem in humeris geſtare meruit, cui ducenti milites manum iniicere non ſunt auſi, quo viſo, Ammonitarum rex eſt territus, viciſſent feminæ, niſi ille repentè ad orationis arma confugiſſet. Vinctus, & in carcere poſitus, dum illum duæ inſignis impudicitiæ ſorores Niceta, & Aquilina, ad hoc à rege miſſæ, ut turpi voluptate delinitum à Chriſto averterent, complexu, oſculis, alloquiis oppugnare cœpiſſent, ſenſit in tali certamine ſuam ſibi haud ſufficere virtutem, & Domini invocavit. Eo orante carcer illuxit, ſubitus perſtrinxit oculos fulgor: mulieres expavidæ in terram corrunt, mortem ſibi timentes, quæ mortem intentaverant viro. Sed tandem ab eo ſpe veniæ recreatæ Chriſto crediderunt, dumque ipſum palàm confiterentur, tyranni gladium immotis jugulis excepere. *Marul. l. 4. c. 7.*

Martino Maſſici Campaniæ montis ſolitario decretum, ac deliberatum fuit, ne feminam aſpiceret, & dum quædam G propoſiti ejus turbandi cauſa illi repentè aſtitiſſet, pronus humi corruit: vultuque inter palmas collecto, tàm diu Deum uti ſe in tali pudicitiæ diſcrimine tueretur, oravit, donec illa longioris moræ victa tædio, inde diſceſſit. Fama eſt, mulierem hanc, ſimulatque de monte deſcendiſſet, vita deceſſiſſe. *Marul. l. 4. c. 7.*

Sara, in partibus Thebaidis abbatiſſa, cùm cogitationes ejus ad libidinem diabolus incitare ſoleret, nunquam ut recederet tentatio, oravit: ſed ut & illa aſſiduè oppugnaret, & ipſa ſemper vinceret. In hoc carnalis laſciviæ bello per annos tredecim fortiter contendit. Sed tandem aliquantò acriùs impugnat, quàm ut ſuſtinere poſſet, clamavit ad Dominum Jeſum Chriſtum, & ſuperavit inimicum, ita ut oranti apparens dæmon diceret: Viciſti me, Sara, viciſti. At illa nihil ſibi ex hoc laudis vindicans: Non ego, inquit, vici te, ſed Dominus meus Jeſus. *Marul. l. 5. c. 7. & Sab. l. 10. c. 3.*

Contemplatione.

Ad quendam in deſerto Ægypti Solitarium corrumpendum cùm veniſſet meretrix (fecerat autem ſponſionem, cum quibuſdam, ſi illum ad coitum compuliſſet) finxit ſe viam H aberraſſe: & quoniam jam veſper erat, flens petiit, uti nocte illa ſuſciperetur. Caſtitatis periculum denegare quod petebatur, ſuadebat: charitas verò cedere, ne quid feminæ foris manenti adverſi contingeret, cùm locus foris frequens eſſet. Ergo receptam in uno tugurioli angulo poſuit, & ſe in altero collocavit. Noctu tamen cogitationibus ad impudicitiam pulſatus jam in eo erat, ut vinceretur: cùm ſubitò in mentem venit, quòd pro tam brevi voluptate ignem æternum paſſurus eſſet. Exurgens igitur accendit lucernam: &, Experiar, inquit, an ignem ſuſtinere poſſim, quem ſuſtinere cogerer, ſi deliquiſſem: digitoſque ad lucernam admotos urere pertinaciter cæpit. Aduſtionis cruciatus libidinoſas cogitationes diſſipavit, & gehennæ timor intimam voluptatis titillationem repreſſit. Mulier autem, quæ ſervum Chriſti in mortis foveam præcipitare moliebatur, ipſa ibidem vitam cum morte commutavit. Manè juvenes illi adveniunt: & quam viciſſe putaverant mortuam jacere oſtendunt. Sanctus verò ut pro malo redderet

bonum ipſam, quæ pudicitiæ ſuæ inſidiari auſa fuerat, precibus vitæ reſtituit. *Marul. lib. 4. c. 7.*

Joſaphat, Avenir Indorum regis filius, Barlaam eremitæ induſtria, & diſciplina ad Chriſtianitatem converſus, meretriculæ cujuſdam forma, blanditiiſque, & procacitate captus fuiſſet, niſi divina miſeratione contigiſſet, ut parumper obdormiſcens, & ſanctorum gloriam, & damnatorum pœnas vidiſſet. Eo ſomno confirmatus, in caſtitatis propoſito perſeveraverit. *Marul. l. 4. c. 14.*

CONVERSATIONIS IMPUDICÆ FUGA. UT PUTA.

Mulierum aſpectum, colloquium, converſationem declinando.

CYRUS Perſarum rex, Pantheam omnium mulierum formoſiſſimam, captivam in conſpectum ſuum adduci vetuit, ne amore illius corriperetur. *Xenoph. l. 5. & 6. Pædiæ.*

Cùm Antipatridas formoſam pſaltriam in convivium deduxiſſet: motus ejus forma Alexander, quæſivit de Antipatride, Ecquid iſtam amaret? Annuente illo: Non abduces, inquit, actutum ſcelus ex convivio mulierem! *Plut. in Apopht.*

Alexander Macedo, cùm Darii uxorem, ſororem, filias captivas haberet; mirum in modum formoſas, ne videre quidem eas voluit: turpe ratus eſſe, eum, qui viros viciſſet, à mulieribus ſuperari, dicere ſolitus, μεγάλας χορῶν λύπας χόρας εἶχα, *Plut. Athen. l. 13. c. 27. Baſil. de Lib. ſtudiis, & Gell. l. 6. c. 8.* ubi quæſtionem movet, Alexander ne continentior fuerit, qui videre noluit, an Scipio, qui viſum reſtituit?

Antigonus rex Aſiæ, cùm Philippum filium animadverteret aliquando hoſpitium habere in ædibus, in quibus tres juvenculæ erant: nullum verbum huic fecit, ſed accito metatore hoſpitiorum, filio præſente: Quin tu, inquit, filium meum educis ex iſtis anguſtiis? *Plut. in Demetrio.* Aliter *Front. l. 4. c. 2.* Audio, inquit, fili anguſtè habitare te, pluribus dominis domum poſſidentibus: hoſpitium laxius accipe, juſſoque commigrare, edixit, ne quis minor quinquaginta annos natus, hoſpitio matrisfamilias uteretur.

Antigonus III. Aſiæ rex, Dianæ ſacerdotem contemplatus forma mirè venuſta, repentè movit Epheſo: veritus, ne quid præter animi ſententiam nefarii admitteret. *Plutarch. in Apopht.*

PTOLEMÆUS Tryphon, Ægypti rex, cùm ſpecioſa quædam mulier loqui cùm eo cuperet: Prohibuit, inquit, mihi ſoror, ne ſermonem à ſpecioſa femina ſuſciperem. At illa intrepidè, ac feſtivè reſpondit, Atqui à ſpecioſo, inquiens, ſuſceperis. Quod cùm audiviſſet, eam laudavit. *Ælian. de Var. hiſt. lib. 4.*

DIODORUS tibicen vocatus à Lamia, venire recuſavit: temperantior Demetrio Poliorcete rege, qui obſidionem urbis ſcorti amplexibus poſtpoſuit. *Ælian. l. 12.*

Zeno ſimul, & Cleanthes aſſidebant Chæremondæ: cùmque ſentiret affectum amoris Zeno, ſurrexit. Hoc admirante Cleanthe, Etiam à bonis, inquit, medicis audio, adversùs inflationes optimum eſſe remedium, quietem. *Laert. l. 7. c. 1.*

Ariſtippus, cùm Dionyſius tyrannus tres venuſtas meretrices obtuliſſet, admonens, ut ex his, quam vellet, eligeret, omnes apprehendit, dicens, Ne Paridi quidem fuiſſe tutum, unam cæteris prætuliſſe: ac puellas deduxit ad aulæ veſtibulum, dimiſitque non minus in contemnendo facilis, quàm in amplectendo. *Laert. l. 1. c. 8.*

Iſæus Aſſyrius ſophiſta, cùm à quodam, qui formoſiſſimam oſtendebat mulierem, interrogaretur, Num formoſa videretur πέπαυμαι, reſpondit, ὀφθαλμῶν: id eſt, Deſii laborare ab oculis. Non aſpexerat, ne amori faceret aditum. *Philoſtratus in Sophiſtis.*

Archytas Tarentinus, cùm aliàs modeſtiſſimus fuit, tum etiam verborum obſcœnitatem aſſiduè vitavit. Cùm verò neceſſitas aliquando poſtularet abſurdius aliquid dicere, non profatus eſt, ſed ipſum quidem ſilentio præterivit; inſcripſit autem in pariete, monſtrans, quod dicendum erat: neque cum res exigeret, dixit. *Ælian. l. 14. de Var. hiſt.*

Apud Romanos in caſtris mulieres intereſſe, aut cum militibus turpi conſuetudine verſari, non decebat. Domi verò tanta Romanæ verecundiæ obſervatio, & morum exempla fuere, ut nec pater cum filio pubere, nec ſocer cum genero lavaret: nudoſque conſpicere parentes ducerent nefas. *Val. Max.*

C. Gracchus quandiù Sardiniam provinciam adminiſtravit, nulla meretrix introivit ejus domum, nulli pueri eximia facie ei ad cyathum ſteterunt. *Gellius.*

CN. POMPEJUS Demetrii ſui liberi uxorem formoſiſſimam nunquam blandè allocutus fertur (quòd tamen contra ejus ingenium fuit) metuens, ne pulchritudine ipſius, qua quemvis ad amorem pellicere poterat, captus videretur. *Plut. in Pompejo.*

Marcia Varronis filia, cùm ſuo ſeculo ſculpendi, pingendique arte inſignis haberetur, abſtinuit ſemper ab effingenda virili figura, ne pudenda quoque exprimeret. *Raviſius.*

Livia Auguſti Cæſaris uxor, cùm nudos homines vidiſſet, dixit, eos matronis honeſtis, & continentibus, nihil à ſtatuis differre. *Dion. Nicæus in Tiberio.*

MATERTERAM ſuam, ſcribit Seneca, per ſedecim annos, quibus maritus ſuus Ægyptum rexit, nunquam in publico conſpectam eſſe, neminem provincialium in domum ſuam admiſiſſe, nihil ab ullo viro petiiſſe, nihil à ſe peti paſſam. Itaque loquax (inquit) & ingenioſa in contumelias præfectorum provincia, in qua etiam vitaverunt quidem culpam, non effugerunt infamiam, velut unicum ſanctitatis exemplum ſuſpexit: & quod illi difficillimum eſt, cui periculoſi ſales placent, omnem verborum licentiam continuit, & hodie ſimilem ipſi (quamvis nunquam ſperet) ſemper optat. Multum erat, ſi per ſedecim dies illam provinciam probaſſet: & eſt, quod ignoravit. *Lud. Vives de Chriſt. fem. lib. 2.*

Julianus Imp. continentiſſimus, capta Perſidis urbe, in qua formoſæ permultæ mulieres erant, non modò nullam ad venerem coegit, verùm etiam ne in conſpectum ducerentur, prohibuit. *Fulg. l. 4. c. 3.*

Joannes anachoreta in quadam Ægypti præruptæ rupis ſpelunca obſtruſo aditu degens, cum feminis nunquam eſt locutus, raró cum viris, ad ſe tamen intrare permiſit neminem: Tribuno roganti, uti ſe conjugi ſuæ conſpiciendum exhiberet: inquietè ſe illi appariturum promiſit. Proxima itaque nocte mulier ſomnians ipſum vidit, quem vigilans nunquam viderat. *Marul. l. 4. c. 7. & Sab. l. 5. c. 6.*

CARILEPHUM in Gallia eo loci, qui Caſſagalla dicitur, ſolitarium femina quædam adiit, virili amictu ſexum diſſimulans, cùm ipſe muliebres congreſſus ſemper refugiſſet. Illa dum ſingula perluſtraſſet, oculis capitur: ac protinus facti pœnitens, veniamque petens, ipſo orante viſum recepit, vitamque correxit. *Marul. l. 4. c. 8.*

Helias Abbas, cùm XXX. annos natus cœnobii virginum curam ſuſcepiſset, & carnis moleſtias ferre nequiret, ad deſertum Scythi profugit. Deinde in quiete apparentibus angelis, Cur Deo dicatas virgines reliquiſſet? interrogatus cauſam dixit. Et cùm ab eis virilia ſibi abſciſſa putaſſet, ſomno experrectus, & corpore ſe integrum, & mente comperit, virginumque curam ſecurus repetiit: nullum poſteà pruritum (licèt inter feminas verſaretur) improbæ cupidinis in ſe ſentiens. *Marul. l. 3. c. 7.*

Paphnucius Abbas, dum hoſpitibus pulmentum lenticulæ, quod atheram appellabant, pararet, & ſubvolantis flammæ vapor manum ejus aduſſiſſet, cogitare ſecum tacitus cœpit: Cur qui jam pridem dæmonum infeſtationes deviciſſet, & illicitos carnis motus mortificaſſet, tam modicæ flammæ læſionem perſentiret! Quieſcenti angelus apparuit: Et quid, inquit, Paphnuci, ab igne te offendi potuiſſe miraris, cùm nec dum igneum, qui in te eſt, ſic penitus, ut putas, extinctum geras. Tunc te illum extinxiſſe crede, cùm puellam nudam, atque formoſam complexus, nullo te libidinis motu ſollicitari deprehenderis. Evigilans ille expavit tale experimentum, & liquidò intellexit, tutius eſſe cùm dæmoniis colluctari, quam juvenculæ mulieris lateri adhærere: & ab igne offendi, quam ea tangi. *Marul. l. 4. c. 7.*

AUGUSTINUS interrogatus, quare cum ſorore habitare refugiſſet: Quia, inquit, quæ cùm ſorore mea ſunt, non ſunt meæ ſorores. Et hanc ejuſdem ſententiam eſſe perhibent. Malum eſt mulierem videre, pejus alloqui, peſſimum tangere. Ex ſenſibus igitur corporis noſtri, ut quiſque periculo proximior, ita magis continendus. *Sab. l. 5. c. 6.*

BERENGARIUS Turonenſis presbyter feminarum aſpectum devitavit. ☞ *Vide Tit. Hæretic.*

CAROLUS V. IMP. uxorem adhuc habens, ſæpè clauſit ipſemet feneſtram, ne inſpiceret formoſiores feminas, cùm eas ex feneſtra eminus adventantes, aut prætereuntes fortè conſpexiſſet, aut etiam præterituras inaudiſſet. *Gul. Zenoc. l. 5. de vita Caroli V. Imp.*

Viro-

Virorum colloquium, aſpectum fugiendo.
☞ *Conſule Tit. Virginum.*

Bona dea, à Græcis θεὸς γυναικεία, dicitur, quam Varro filiam Fauni tradidit, adeò pudicam, ut extra γυναικωνῖτιν, nunquam ſit egreſſa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum nec virum unquam viderit, vel à viro viſa ſit: propter quod nec vir in templum ejus ingreditur. Unde & mulieribus in Italia ſacro Herculis non licet intereſſe: quia Herculi, cùm boves Geryonis per Italiæ agros duceret, ſitienti reſpondit mulier, Aquam ſe non poſſe præſtare, quòd Feminarum deæ celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris guſtare fas eſſet. Propter quod Hercules facturus ſacrum deteſtatus eſt præſentiam feminarum: & Poticio, ac Pinario ſacrorum cuſtodibus juſſit, ne mulierem intereſſe permitterent. *Macrob. lib. 1. cap. 12.*

Beatus Martinus Epiſcopus, cùm Virginem quandam vitæ ſanctitate percelebrem inviſere vellet, & illa aditu negato ei excuſando dixiſſet: Mi pater ſancte, ora pro me, quia à viro nunquam ſum viſitata: gratias egiſſe Deo fertur, quòd illa talibus imbuta moribus caſtam cuſtodiret voluntatem: & benedicens eam, abiit lætus. *Marul. l. 4. c. 8. Hieron. epiſtol. ad Ocean.*

Domi manendo. Non peregrinando.

Ægyptias mulieres (inquit *Plut.*) calceis uti, patrius mos non fuit, ut domi ſe faciliùs continerent.

Inter leges, quas Lycurgus rhetor tuliſſe fertur, hæc erat una: Ne qua Mulier maritata proficiſceretur Eleuſinem, vectus, ne à divitibus dato precio corrumperentur. Addita eſt pœna, drachmarum ſex millia. Ei legi cùm uxor Lycurgi non obtemperaſſet, ſycophantis, qui deprehenderant, ac detulerant, dedit talentum. Ea res cùm illi poſtridie vitio daretur apud populum: Atqui ego, inquit, dare conſpectus ſum, non accipere. *Eraſm. l. 8. Apophth.*

Cum viris cautè converſando. Non convivando.

HOMERUS pudicam Penelopem in conſeſſum procorum deſcendiſſe canit, ſed non ſolam, verùm duabus comitatam nobis ancillis, cùm tamen domi ſuæ eſſet, & Telemachus filius inter procos ſederet, jam tum adoleſcens. *Lud. Vives de Chriſtiana fœmina l. 1.*

Cùm Perſarum regibus legitimæ uxores ad menſam accumbunt, unàque comeſſari ſolent. At cùm ludere, laſciviaeque, ac ſe pluſculum invitare collibuerit, ſummotis illis, pſaltrias meretriculas adhibent, nec ullo modo ſinunt uxores intemperantiæ, ebrietatiſque fieri participes. *Cælius l. 18. Antiq. Lect.*

[Gr]æcorum conſuetudo muliebrem ſexum à conviviis amovebat, neque ulla in virorum ſympoſiis accumbebat mulier, niſi quidvis non audire modò, verùm etiam perpeti poſſet. V[erebantur] enim alioqui fore, ut aut matronalem, virginalem-ve pudorem libertas jocantium offenderet, aut jocandi libertatem illius habita ratio retardaret. Inde igitur eſt, quòd cùm ap[ud Terentium] Thraſo introduci juſſiſſet in convivium Pa[mphi]lam, indignata Thais: Minimè, inquit, gentium, in c[on]vivium tu illam? Quòd enim ſuis integram eam, ac pudica[m] reddere, ac reſtituere cupiebat, vix id conſequi poſſe vide[bat], ſi hoc, quod poſtulabat miles, paſſa eſſet. Ex eadem [con]ſuetudine apud *Ciceronem l. 1.* accuſationis in Verrem, [Phi]lodamus negavit, moris eſſe Græcorum, ut in convivi[is vi]rorum accumberent mulieres. Romani innuptas modò V[irgin]es à convivis amovebant, Varronis teſtimonio. Virgo, [inqu]it, de convivio abdicatur ideò, quòd majores noſtri vir[ginum] acerbas aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. *Mu[ret.] l. 7. Var. lect. c. 2.*

Non oſculando.

Gualdrad[a], cùm eſſet forma, & corporis habitu admodum dec[ora], ab Othone IV. qui tum Florentiæ, ut ſe deoſculandi c[opiam] faceret, expetita: at illa: Nullius mehercule quàm eju[s, que]m maritum habitura ſum, ſuavium accipiam. Placuit [me]ritò, ea vox Principi, ac quæ illam protulerat, Guido[ni ... Ro]mano, viro armis inclyto, in matrimonium data eſt, [a]deò Deo, & hominibus grata caſtitas. *Bapt. Fulg. l. 6. c.* ☞ *Vide hanc hiſt. prolixius infra.*

[Spect]acula impia vitando.

Lacones comœ[dias] & tragœdias non audiebant, ut nec ſeriò, nec joco quicquam audirent repugnans legibus. Leges enim prohibent ſtupra, inceſtum, & adulteria: prohibent dolos, injurias, furta, cæteraque flagitia: at in fabulis talia poetæ diis affingunt. Nec placuit illis quorumdam excuſatio, fabulas ad voluptatem fingi, non ad fidem veri. Voluptas ea corrumpit imbecillium animos. Hanc ob cauſam Archilochum poetam, cùm veniſſet Lacedæmonem, eadem hora expulerunt: quòd intellexerant ab illo ſcriptum, ſatiùs eſſe abiicere arma, quàm mori. *Plut. in Lacon.*

L. B. Thea[tr.] Human. Tom. II.

Maſſilienſium civitatis caſtitas eatenus acris fuit cuſtos, ut Mimis nullum prorſus aditum in ſcenam daret, quorum argumenta plurimùm actus continet ſtuprorum. *Cæl. lib. 16. cap. 8.*

Auguſtus ſpectaculo Athletarum, qui nudi certabant, edicto mulieres Romanas ſubmovit. Ab Olympiis etiam ſpectaculis eædem arcebantur. *Lud. Vives de Officio mariti.*

Turpia alia non aſpiciendo.

Clitomachus pancratiaſtes, ſi quando canes videret coeuntes, ſeſe avertebat: & in conviviis ſi de rebus venereis ſermo incidiſſet, continuo ſurgens diſcedebat. *Ælian. l. 3. de Varia hiſt. & Plut. l. 7. Con. q. 1.*

Apud Monachos quoſdam in una Cycladum habitantes, animalia uſibus vitæ neceſſaria in altera aſſervabantur, ne ipſi eorum coitus fortè aſpicerent. *Lud. Vives de Off. mariti.*

Romæ in ſacris bonæ Deæ, marem ne pictum quidem aſpici fas erat. Lacedæmone, & in Delo, canem intrare templum nefas, propter vulgarem, & propter illius animantis libidinem.

Martia Varronis filia, cùm virginitatis candorem illæſum ſervaret, & ſculpendi, pingendique arte inſignis haberetur, quia ea ætate imagines, ſtatuæque nudæ fingebantur; ipſa præ pudore, ne in viris pudibunda exprimeret, aut ob id imperfectum opus relinqueret, à fingenda virili figura ſemper abſtinuit. *Fulg. lib. 6. c. 1.*

Monachatus profeſſione.

Farra virgo, cùm à patre Agerico (qui primo loco apud Theobertum Galliæ regem habebatur) ad nuptias urgeretur, ſic ubertim fleviſſe dicitur, ut nimio lachrymarum humore oculorum aciem hebetaverit. Et cùm viſum B. Euſtachii Epiſcopi precibus à Domino impetratum recepiſſet, rurſum patris moleſtiis, infeſtationibuſque, ſed & odio agitata ad Eccleſiam confugit. Ille iratus, inde raptam in carcerem detruſit; nec tamen efficere potuit, ut voto ſuo filia conſentiret, quæ ſe jam Chriſto deſponderat. Ubi verò firmam in propoſito permanere vidit, non fuit deinceps impedimento, quin inter ſacras virgines perpetuam virginitatem profiteretur. *Marul. lib. 4. c. 8.*

Gregoriam Romanam virginem, à B Gregorio traditum eſt, ipſo nuptiarum die ad Eccleſiam confugiſſe, & perpetuæ virginitatis voto Deo ſe conſecraſſe. *Ibid.*

Virginitatis amor effecit, ut Euphroſina Alexandrina domum, parentes, patriam, fugeret, & ne juveni (cui pacta erat) invita traderetur, ſub virili habitu latens, proximi cœnobii monachos adiret, ſeque in eorum numerum ſolenni profeſſione redigeret, dicta Smaragdus. Cur, inquiens, unum fugiens tam multis ſe credidit? quia eos, quibus ſe credebat, æquè ac ſe caſtos eſſe noverat. Quem autem fugiebat, longè diſparis voti eſſe ſciebat. *Idem.*

ILDEGUNDA virgo Germanica, Nuſſiæ orta (quod oppidum haud longè à Colonia urbe in Rheni ripa poſitum eſt) multis agitata caſibus, poſt permulta, quæ non ſine ingenti admiratione ei acciderant, anno Salutis 1188. puerili habitu monaſticam diſciplinam ſubiit, in Abbatia, quæ prope Wormatiam urbem Schuvabenheim dicitur. In ea diû incognita vixit, ſub Joſephi nomine inter viros ſingulari continentia ac ſanctitate ſemper verſata, uſque ad eam diem, qua deceſſit: ne tunc quidem mulier cognita fuiſſet, niſi dum lavaretur, detecto corpore ſexus patuiſſet. Sic Marina ſub Marini appellatione in monachorum conventu egiſſet, à ſacris ſcriptoribus perhibetur. *Fulg. lib. 4. c. 3.*

GUNZONIS, Arbonæ ducis filia, Galli Abbatis precationibus à dæmonio liberata, virginitatem vovit. Cùmque à Sigeberto Galliæ rege in matrimonium peteretur, à patre tradita, ſponſam ſe cœleſtis regis eſſe dixit. Quæ vox ita exterruit Sigebertum, ut illam in monaſterium virginum abire permiſerit. *Marul. l. 4. c. 8.*

Spoletana virgo principis viri filia, cùm pater ipſam nuptui collocare decreviſſet: illo inſcio ad monaſterium abiens, virginitatis velum, habitumque accepit. Pater indignatus illam exhæredavit. Sed quæ nihil acceperat à parente, à Domino

accepit,